
CONSTITVTIONES

FRATRVM

SS. Barnabæ, & Ambroſij

ad Nemus.

FR. MICHAEL MVRAZANVS PEDEMONT.
Ordinis SS. Barnabæ, & Ambroſij nuncupati
Generalis Magiſter.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PAPIÆ, Apud Andream Vianum. M. D. CVI.

De Superiorum permiſſu.

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci Transtyberim

FRANCISCVS SFORTIA
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS
gratia Tituli Sanctę Mariæ in Via Lata

Diaconus Cardinalis, Vniuerſæ Congregationi SS. Barnabæ, & Ambroſij.

NEMINEM veſtrum latere arbitror (Dilectiſsimi) propter adiuuandam hominum infirmitatem, et, vt D. Paulus ait, propter transgreſsionem, legem à Deo primùm fuiſſe introductam. Neq; n. leges perſcribi, neque in marmore incidi neceſſe fuiſſet, ſi ab ea norma, quam Deus primorum parentum mentibus infuderat, numquam defeciſſemus. Verùm, vbi delinquere, & peccare homines cœperunt, non modò ſemel, atque iterum, ſed etiam tertiò, atque adeò pluries componi leges, quibus ad benè, beateq; viuendum erudiremur, decretaq; edi oportuit. Quare cum Congregatio veſtra quaſdam quidem Conſtitutiones antea haberet, eæ tamen, neque admodum accuratè ſcriptæ, neque certè multum cum præceptis Sacroſancti Tridentini Concilij, & Summorum Pontificum litteris, conuenientes eſſent, pro meo, quo erga vos protectionis munere fungor, faciendum mihi exiſtimaui, vt adhibito, tum Reuerendiſs. Patris veſtri Generalis, &

Prouincialis, ad id præcipuè in Capitulo veſtro à vobis Conſtitutorum; tum aliorum etiam Doctorum, & prudentum virorum conſilio, nouas, pro veſtra vniuerſa Congregatione Conſtitutiones conſcriberem, eaſq; Sanctiſs. D. N. benedicendas, vobis verò vnas, cæteris, abrogatis omnibus, ſuſcipiendas, ſeruandaſq; traderem. Quæ omnia cum aliquando (Deo adiuuante) à me præſtita ſint, ſcilicet, vt et Conſtitutionum volumen ſatis copioſum, ac quoad fieri potui noſtræ ætatis moribus congruens, in lucem tandem emiſerim, Idque Summo Pontifici Paulo V. approbandum, ac benedicendum obtulerim. Reliquum eſt, vt vos iſtas, quæ vobis dantur, Conſtitutiones, hilari animo amplectamini, perlegatis, numquam de manibus deponatis, ſemper in oculis, & corde habeatis, ac deniq; ex earum præſcriptione vos totos inſtituatis, atque conformetis. His enim quid vobis, tum priuatim, tum publicè, ſiue agendum, ſiue omittendum ſit, docetur. His, quibus ſint Peccata pœnis corrigenda, ac luenda, præcipitur. His, quæ benemeritis reddenda ſint præmia, oſtenditur. Et, vt omnia vno verbo comprehēdam, his ad Cœlum vobis aditus, & demonſtratur, & aperitur. Valete. Dat. Romæ XVII. Kal. Maij Anno Chriſtianæ ſalutis.

M. D. LXXXVI.

ERA-

FR. MICHAEL MVRAZANVS PEDEMONT. ORDINIS SS. BARNABÆ, & Ambroſij Generalis M. Sacroſanctæ ſuę familię Pacem, & ſalutem.

MIHI Superioribus annis, perſonam Sacrę huius noſtrę familię ſuſtinenti nihil fuit potius, quàm vt ipſa noſtra religionis, & pietatis familia ad arctiſſimū ſocietatis vinculum ex Patribus S. Ambroſij, Picentinorumq; & Ligurum omni ſanctimonia conſtringendum, Sacroſancta hæc obſeruantiæ fœdera feriret. Quare, Deo auſpice, obtinuimus, tandem id, cuius multum, & diù magno laborauimus deſiderio. Nam in proximis huius noſtri ordinis Comitijs, conſilium omni aſſtipulante Patrum conſenſu, cepimus, vt de inito religioſiſſimæ coniunctionis fœdere, Conſtitutiones ſcriberētur, ſcriptæq; ne deinceps violari poſſent, iureiurando promulgarentur, At in ipſo rerūm limine à Sereniſs. Mantuæ Duce, qui me tunc temporis, in concionatorem cooptarat, fui ab incepto negotio reuocatus, atq; hunc vſq; in diem impeditus, Nam in medio concionum curſu in grauem, & deſperationis plenum, morbū incidi: cui vtt occurrerent Medici, ſuaſerunt vel impulerunt potius, vt pro cœli felicitate, Taurinū me reciperem: vbi mox vix adhuc cùm eſſem firmo corpore, Sereniſs. Dux per Legatos Principū Lotharingiæ rogatus, me rogauit, ſi tamen rogare poteſt, cuius eſt imperare, vt ſtatim grauibus de cauſis, me Lotharingiam conferrem. Parui Principis mandato. Nec fruſtra; Nam ad paucos dies Illuſtriſs. Cardinalis Lotharingus, qui multis antè annis à Medicis erat deſtitutus, vna cum reliquis Principibus, compos factus eſt voti: priſtinamq; recuperauit valetudinem. Huius rei fama cùm ſtatim non ſolum per Galliam: ſed etiā per Germaniam cum omniū admiratione peragrauiſſet, non parum vtilitatis: plurimū glorię mihi apportauit, quæ omnia omitto: hoc omittere non poſſum: ꝙ pro Religionis noſtræ cōmodo, me Honorarij ergo Illuſtriſs ille Princeps donauit Æde S. Nicolai in Lotharingia vna cum annuo reditu, omniq; ex eo ante coacta numerata pecunia. Hinc tot Principū auctoritate ad Boios compulſus ſum tranſuolare, vbi à Maximiliano, & Eliſabetta ſummæ eius Regionis Principibus, quam humaniſſimè fui exceptus, atq; multis, magniſq; muneribus honeſtatus. Res. n. apud eos feliciter eſt confecta. Denique ... te ad exitum perducta. Itaq; in Italia ... me ... ad uolauit ad me, qui nunciaret, me ſuperioribus Patrum Comitijs in ordinis noſtri Patrem Generalē eſſe coaptatum: ... exigebat, vt gradum accelerarem: ſed eo fere tempore ab ipſa Gallorum Regina ſum in Galliam reuocatus, quæ certos ad hanc rem extruxerat nuncios. Itaq; in Italiam cogitare deſtiti: iterq; Lutetiam habui, vbi vj Idus Septembris præſto ad me Tabellarius Sabaudiæ Ducis adeſt, cum mandato, & litteris, ex quibus intelligebam me ab eo Sereniſs. Duce in Salinarum Epiſcopum eſſe aſcitum. Sed cum gratiarum actione beneficium renui: quia ... onus meis impar eſt humeris. Quocirca, quoniam coactus ſum per Lotharingiam, & Galliam peragrare, decimus menſis antè effluxit, quàm in Italiam redij At reuerſus ſtatim Romam accelerare animum induxi, ad eam cōcordiæ, & intimæ ſocietatis fabricam, quam ipſa Religionis exigebat pietas. Quarepro ſtudio, & ſolertia Reue. P. Innocentij Romæ Procuratoris Generalis non magna cum difficultate, quod res eſt egi, & peregi. Nam quicquid ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinali Sfortia, qui hunc noſtrum ordinem in ſuam fidē, & tutelam recepit, orauimus: benignè & cumulatè exorauimus, Hic. n. tanta gratia, tamq; ſingulari pietate de re omni cum Summo egit Pontifice, vt cauſſam ipſe Pontifex S. Reformationi remiſerit: cum hac tamen exceptione, vt Conſtitutiones noſtras ipſe recognoſceret, quæ ter iam publico patrum & conuentu, & conſenſu ſunt corroboratæ. Delectus ad hanc rem fuit Admodum R. P. D. Eugenius, qui cauſſa omni ex parte, cognita, quod res, tempuſq; ferebat ei retulit. Quare eius Sanctitas Diplomata illi exhiberi iuſſit, concedens, vt ipſæ imprimantur, iàm piæ huius noſtræ conſociationis Conſtitutiones: ad quarum ſtudium, & obſeruantiam omnes ſingulari amore hortor, ſicq; moneo, vt nihil vnquàm ardentius, Nam in ijs apud nos, ars omnis, & diſciplina, ſi benè attendimus, conſiſtit benè beateq; viuendi.

SIXTVS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem ea, quæ pro fælici regimine, & ſalubri monaſteriorum directione, & regularium locorum quorumlibet, & perſonarum in eis degentium ſtatuta, & ordinata fuiſſe comperit & illibata perſiſtant, Apoſtolicæ Sedis munimine roborare. Sanè dilectus filius noſter Franciſcus S. Nicolai in carcere Diac. Card. Sfortia nuncupatus Ordinis, & Congregationis fratrum S. Ambroſij ad Nemus ſub regula S. Auguſtini Protector nobis expoſuit, quòd nuper dilecti filij moderni Rector Generalis, ac Prior Monaſterij S. Clementis de vrbe Ordinis, & Congregationis huiuſmodi à Capitulo generali Mediolani antea celebrato auctoritatem reformandarum Conſtitutionum Ordinis, & Congregationis huiuſmodi habentes vnà cum ipſo Franciſco Card. Protectore pluries Congregati nonnullas Conſtitutiones numero quadragintaquinque, partim ex veteribus, partim ex his, quas bon. m. Carolus Card. Borromæus tunc in humanis agens, & dicto Capitulo Præſidens ediderat, partim verò aliunde, vt melius viſum fuit collectas eidem Franciſco Card. Protectori legendas, & ab eo approbandas obtulerunt, quas dictus Franciſcus Card. Protector illis diligenter viſis, ac maturè conſideratis illas tàm Franciſcus Card. Protector, quàm Generalis, & Prior præſenti approbarunt, & pro approbatis habuerunt, illaſq; ab omnibus, & ſingulis Ordinis, & Congregationis prædictorum fratribus, & perſonis obſeruandas eſſe iudicarunt, atq; mandarunt, prout in ipſis Capitulis per Franciſcum Cardinalem Protectorem, ac Generalem, & Priorem prædictos die decimaquinta menſis Aprilis proximè præteriti ſubſcriptis plenius dicitur contineri. Quare prædictus Franciſcus Card. Protector, tàm ſuo, quàm Generalis, ac Prioris prædictorum nominibus nobis humiliter ſupplicauit, quatenus Conſtitutiones prædictas, omniaq; & ſingula in eis contenta capitula confirmare, & approbare, illiſq; perpetuæ firmitatis robur adijcere, aliaſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos de omnibus in eiſdem Conſtitutionibus contentis informati, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conſtitutiones; prædictas, dicta quadragintaquinq; capitula, vt præfertur, ſubſcripta continentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſq; perpetuæ firmitatis robur adijcimus, omneſq; & ſingulos iuris & facti, ac ſolemnitatum quarumcumq; quomodolibet omiſſarum defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus, eaſdemq; Conſtitutiones per Generalem, ac Priorem, & fratres dictorum Ordinis, & Congregationis nunc & pro tempore exiſtentes perpetuò obſeruari debere, & ad id cogi, & compelli poſſe, nec ab illis, nec ab vllo vnquàm tempore quouis prætextu reſolui poſſe, irritum quoq; & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Mandantes eidem Franciſco Cardinali moderno, & pro tempore exiſtenti Protectori, ac Viceprotectori Ordinis, & Congregationis huiuſmodi, vt omnia, & ſingula in dictis Capitulis contenta per ſupradictos, ac omnes alios, quos ea concernunt, & concernent in futurum ſub excommunicationis, & Eccleſiaſticis, ac priuationis officiorum, & alijs pęnis ſuo arbitrio imponendis inuiolabiliter obſeruari faciat, contradictores, & impeditores, eiſq; auxilium, & fauorem quomodolibet præſtantes per eaſdem cenſuras, & pęnas, aliaq; ſibi viſam remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

ſcendo, inuocato ſi opus fuerit, auxilio brachij ſęcularis. Non obſtante præmiſſis, ac quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorũ, eorumq; monaſterium, ac regularium locorũ, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel qua vis firmitate alia roboratis ſtatutis, & cõſuetudinibus, priuilegijſq; quoq; indultis. ac literis Apoſtol. per fœl. rec. Greg. XIII. & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ordini, & Congregationi prædictis, ac eorum monitorijs & regularibus, locis necnon Rectori Generali, & Prioribus, ac fratribus, alijſq; perſonis in præiudicium, ſeu contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes hac vicę dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xx. Maij 1586.

P. N. A. S.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

RELIGIONIS *propagationem, & incrementum ſynceris, prout ex debito Paſtoralis officij tenemur, deſiderantes affectibus, quę propterea fuiſſe comperimus, vt perpetuò firma permaneant, Apoſtolici muniminis firmitatem libenter adijcimus. Sanè dilectus filius noſter Franciſcus Sanctæ Marię in Via Lata Diaconus Cardinalis Sfortia nuncupatus, tàm ſuo, quàm dilectorum filiorum Superiorum Sancti Ambroſii ad Nemus Mediolanen. & Sancti Barnabæ Prouinciæ Marchię, & Ianuę Congregationum ſub Regula Sancti Auguſtini degentium nominibus nobis nuper expoſuit, quòd aliàs tàm ipſe, qui dictarũ Congregationum Protector exiſtit, quàm Superiores præfati, qui (vt præfertur) ſub eadem Regula viuunt, cupiunt pro ipſarum ambarum Congregationum augumento illas vnire, habito ſuper hoc inter eos tractatu, tandem ex certis tunc expreſſis cauſis dictas Congregationes cum quibuſdam Capitulis, ac conuentionibus vniuerunt, & incorporarunt, ac vnum corpus effecerunt, prout publico deſuper confecto inſtrumento plenius dicitur contineri. Quare tàm Franciſcus Cardinalis, quàm Superiores præfati deſiderantes huiuſmodi vnionem, ac inſtrumentum deſuper celebratum, necnon Capitula, & conuentiones in eo contentas pro illarum firmiore ſubſiſtentia per Nos approbari, & confirmari, Nobis humiliter ſupplicarunt, quatenus eorum deſiderio huiuſmodi annuere, aliaſq; in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos habita de præmiſſis relatione à dilectis filijs noſtris S. R. E. Card. deputatis ſuper negotijs Regularium, quibus negotium huiuſmodi commiſeramus dicti inſtrumenti, ac capitulorum, & conuentionum in eo contentorum, huiuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati vnionem præfatam, ac inſtrumentum deſuper confectum, necnon capitula, & conuentiones in eo contentas Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti, & ſolennitatum quarumcumque quomodolibet omiſſarum defectus, ſi quis interuenerint in eiſdem, ſupplemus: & nihilominus Sancti Ambroſii, & Sancti Barnabæ Genuę Congregationis præfatas, eorumq; Ordinis, &*

nes, & Monaſteria, & loca quæcumque auctoritate, & tenore præfatis de nouo, quatenus opus ſit, etiam perpetuò vnimus, & incorporamus, ac vnum corpus à Nobis effectum eſſe volumus, decernimus & declaramus. Mandantes in virtute Sanctæ obedientiæ, ſub pœnis per dictum, & pro tempore exiſtentem Congregationum Superioribus, & Religioſis nunc, & pro tempore exiſtentibus, vt præſentibus noſtris litteris, & in eis contentis pareant, & obediant, ac omnia ſupradicta, & in dicto inſtrumento contenta obſeruent, & obſeruari faciant cum effectu: Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Congregationum huiuſmodi, & illarum ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ in Monte Quirinali ſub Anulo Piſcatoris, die xv. Auguſti. M. D. LXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis noſtri muneris debitum expoſcit, vt ad ea libenter intendamus, per quę Religioſorum ſtatui, & proſpero gubernio opportunè proſpicitur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Volentes itaq; Congregationes Sancti Ambroſii ad Nemus Mediolanen. & Sancti Barnabæ Prouinciæ Marchiæ, & Ianuæ ſub regula Sancti Auguſtini, aliàs à fæl. rec. Sixto Papa V. Prædeceſſore noſtro inuicem vnitas ſpecialibus fauoribus, & gratijs benignũ proſequi, ac earundẽ Congregationum Superiores, et Religioſos vniuerſos, & ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſine abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Ex Voto Venerabiliũ Fratrum noſtrorũ S. R. E. Cardinalium ſuper conſultationibus, & negotijs Epiſcoporũ, & Regularium deputatorum, Conſtitutiones pro ipſarum Congregationũ, & earum Monaſteriorum, ſeù Domorum, & Religioſorum proſpero gubernio, & regimine editas, & in eadem Congregatione iuſſu noſtro diligenter examinatas, & approbatas, nec non etiam quęcumq; priuilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, conceſſiones, Indulgentias, & indulta eiſdem Congregationibus, illarumq; Monaſterijs, Domibus, Superioribus, Fratribus, & alijs Religioſis in genere, vel in ſpecie per quoſcumq; Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Apoſtolicam Sedem conceſſa quatenus ſint in vſu, & non ſint reuocata, neq; ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, ac Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non aduerſentur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tàm iuris, quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem interuenerint, ſupplemus. Non obſtan. quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictarum Congregationum, & earum Monaſteriorum, ſeù Domorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis. ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſq; contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die xxj. Ianuarij. M.D.CVI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

REGVLA BEATI PATRIS AVGVSTINI.

ANTE omnia fratres chariſſimi diligatur Deus: Deinde proximus. Quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus in monaſterio conſtituti.

Primum propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis cor vnum, & anima vna in Deo. Et non dicatis aliquid proprium: ſed ſint vobis omnia communia: & diſtribuatur vnicuiq; veſtrum à præpoſito veſtro victus, & tegumentum: non ęqualiter omnibus: quia non ęqualiter valetis omnes. Sed potius vnicuiq; ſicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apoſtolorũ, quòd erant illis omnia cõmunia, & diſtribuebatur vnicuique; ſicut cuiq; opus erat. Qui autem aliquid habebant in ſeculo quando ingreſſi ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quę nec foris habere potuerunt. Sed tamẽ eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etiam ſi paupertas eorũ quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterant inuenire. Tamen non ideò ſe putent eſſe fœlices, quòd inuenerint victum, & tegumentum, quale foris inuenire non potuerũt. Nec erigant ceruices quòd ſociantur eis, ad quos foris accedere nõ audebant. Sed ſurſum cor habeant: Et terrena vana non quęrant: Ne incipiant monaſteria diuitibus eſſe vtilia, non pauperibus: diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

Rurſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad iſtam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum

diuitum dignitate; Sed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt; Nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant, qui eas in monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in monaſterio fruerentur. Alia quippè quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: Superbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo? Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis.

Orationibus inſtate horis, & tẽporibus conſtitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit. Vt ſi fortè aliqui etiam prẹter horas conſtitutas (ſi eis vacat, & orare voluerint) non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Pſalmus, & Hymnus cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore, & nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur. Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ, & potus; quantum valitudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimẽtorum ſummat, niſi cum ægrotat. Cum acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur ſine tumultu, & contentionibus audiatur. Ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum: ſed & aures eſuriant verbum Dei. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet alijs moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos aliqua fecit conſuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi; Sed ſibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium

ſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorumvè datur, quod alijs fortioribus, & ideò felicioribus non datur: cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſua ſeculari vita illi ad iſtam deſcẽderint, quamuis uſq; ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire non potuerunt. Nec debent velle omnes quod paucos uident amplius, non quia honorantur, ſed quia tolerantur, accipere: Ne contingat deteſtanda peruerſitas, ut in monaſterio, ubi, quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati.

Sanè quemadmodum ęgrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur; ita & poſt ęgritudinem ſic tractãdi ſunt, vt citius recreentur: etiam ſi de humillima ſeculi paupertate venerint: Tanquam hoc illis cõtulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cum uires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam: quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigẽt: Ne ubi eos teneat uoluptas iã uegetatos, quos neceſſitas leuarat ĩfirmos.

Illos ſanè exiſtimẽt ditiores, qui in ſuſtinẽda paupertate fuerint fortiores: Melius eſt enim minus egère, quam plus habere.

Non ſit notabilis habitus veſter. Nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus, quando proceditis, ſimul ambulate. Cum veneritis quo itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum; ſed quod veſtram deceat ſanctitatem, Oculi veſtri ſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; Sed appetere, vel ab ipſis appeti velle criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu quoq; & aſpectu appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; Quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impu-

dica, etiam ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore: etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet qui in fœminā figit oculum, & illius in ſe ipſe diligit fixum, ab alijs non ſe videri, cum hoc facit: videtur omnino, & à quibus ſe videri nō arbitratur. Sed & ſi lateat & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideò putandus eſt non videre, quia tanto videt patientius, quanto ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminæ male videri. Illius namque & in hac cauſa commēdatus eſt timor, vbi ſcriptum eſt abominatio eſt domino defigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in eccleſia, aut vbicumque fœminæ ſint, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

Et ſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, Ne, mala cępta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quoq; die id ipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunq; hoc potuerit inuenire. Prius tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorum, vel trium teſtium poſſit ore conuinci, & cōpetenti ſe veritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari, nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? Sed antequam alijs demoſtretur, per quos conuincendus eſt: ſi negauerit, prius prępoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi: ne

forte

forte poſſit ſecretius correctus non innoteſcere cœteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alij etiam coram omnibus, vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci.

Conuictus verò ſecundum arbitrium præpoſiti, vel etiam presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe nō abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer: Ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc, quod dictum eſt de oculo non figendo; etiam in cæteris inueniēdis, indicandis, prohibendis, conuincendis, vindicandisq́; peccatis diligenter, & fideliter obſeruetur cum dilectione hominum, & odio vitiorū. Quicumq́; autem in tantum progreſſus fuerit malum, vt occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat; Si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem depræhenditur, atq́; conuincitur, ſecundum arbitrium præpoſiti, vel presbyteri grauius emendetur. Veſtes veſtras in vnū habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne à tinea lędantur. Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario. Si fieri poteſt, ad vos non pertineat quod vobis indumētum pro temporum congruentia proferatur; Vtrum hoc recipiat vnuſquiſq; quod depoſuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen vnicuiq́; prout cuiq́; opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, dum conqueritur aliquis ſe deterius accepiſſe, quam prius habuerat, & indignum ſe eſſe, qui non ita veſtiatur, ſicut alius frater eius veſtiebatur: Hinc vos probate quantum vobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Sed tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod depoſueratis. In vnum tamen locum, ſub communibus cuſtodibus habere

bete quod ponitis. Ita ſanè vt nullus ſibi aliquid operetur: ſed omnia opera veſtra in vnum fiant maiori ſtudio, atq; frequétiori alacritate, quàm ſi vobis ſinguli propria feceretis. Charitas enim de qua ſcriptum eſt quod non quærit quę ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideò quanto magis rem communem, quàm propria veſtra curaueritis, tantò vos amplius proficere noueritis. Vt in omnibus, quibus vtitur tranſitoria neceſſitas, ſupereminat quæ permanet charitas.

Conſequés ergo eſt, vt etiam cum quis ſuis filijs, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus in monaſterio cõſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur: Sed ſit in poteſtate præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, præbeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam cęlauerit, furti iudicio condemnetur.

Indumenta veſtra ſecundum arbitium præpoſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus: Ne interiores animæ ſordes cõtrahat mundæ veſtis nimius appetitus.

Lauacrum etiam corpori, cum infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. fiat ſine murmure de conſilio Medici: ita vt etiam ſi nolit, iubente præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & forte non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiam ſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat. Deniq; ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid ſibi doleat ſine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum ſanando illi dolori quid delectat, expediat, ſi non eſt certum, Medicus conſulatur.

Nec eant ad balnea, ſiue quocumq; ire neceſſe fuerit, minuſquam duo, vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus præpoſitus iuſſerit, ire debet.

Ægrotantium cura ſiue poſt ęgritudinem reficiendorum

ſine

ſine aliqua imbecillitate, etiam ſine febribus laborantium vni alicui debet iniungi, vt ipſe de cellario petat, quod cuiquam opus eſſe proſpexerit.

Siue autem qui cellario, ſiue qui veſtibus, ſiue qui codicibus præponitur ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis.

Codices certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Veſtimenta verò, & calciamenta quando fuerint indigẽtibus neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.

Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis: ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Quicumq; conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem lęſerit, meminerit Satisfactione quantò citius iurare quod fecit: & ille, qui lęſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe leſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt propter orationes veſtras, quas vtiq; quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem qui quamuis ira ſæpè tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quam qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.

Qui autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio, etiam ſi inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite. Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera.

Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coherceñdis dicere vos dura verba compellit, ſi etiam ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur vt à ſubditis veniam poſtuletis: ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimiũ ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen

petenda eſt venia ab omnium domino: qui nouit etiam eos, quos plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autẽ carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

Præpoſito tanquam patri obediatur, multo magis presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit. Vt ergo cuncta iſta ſeruentur. Et ſi quid ſeruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum, corrigendumq; curetur. Ad præpoſitum pręcipuè pertinebit, vt ad presbyterum (cuius eſt apud vos maior authoritas) referat quod modum, vel vires eius excedit.

Ipſe verò qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem. Honore coram vobis prælatus ſit vobis, timore coram Deo Subſtratus ſit pedibus veſtris: Circa omnes ſeipſum bonorum præbeat exemplum: corripiat inquietos: conſoletur puſillanimes: ſuſcipiat infirmos: Patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, Metuendus imponat. Et quamuis vtrumq; ſit neceſſarium, tamẽ plus à vobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem. Vnde vos magis obediendo non ſolum veſtri, ſed ipſius etiam miſereamini: Qui inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur. Donet Deus vt obſeruetis hæc omnia, tamquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona veſtra conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti.

Vt autem vos in libello hoc, tamquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumq; veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, Orans vt ſibi dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

DE

DE OFFICIO DIVINO A FRATRIBVS Congregationis noſtræ perſoluendo.

CVM Diuina humanis, ſpiritualiaq; temporalibus meritò pręponenda ſint, ac in terris nihil diuinius à nobis effici poſſit, quàm vt Deo pro innumerabilibus beneficijs, quæ quotidie in nos abundè confert, gratias canticis, & pſalmis dicendis perpetuò agamus: idcirco primum conſtituimus, ac præcipimus, vt nuſquam in Congregatione noſtra Diuinum officium, tàm diurnum, quàm nocturnum dici in Eccleſia, quacumq; cauſa omittatur, idq; ſiue cantetur, ſiue legatur cum attentione debita celebretur, in quo perſoluendo à fratribus in Mediolanẽſi Prouincia ob ius, quo tenentur, Inſtitutionis Monaſteriorum S. Ambroſij ad Nemus, uel ob ius fundationis ex indulto Apoſtolico Eugenij IV. ritus Ambroſianus ſeruetur in alijs Prouincijs; iuxta eorum morem ritus ſeruetur Romanus, & hi quidem ſeruent formam Breuiarij, & Miſſalis Romani Pij V. Pontificis Maximi iuſſu ędití, illi verò formam Breuiarij, & Miſſalis nuper recogniti ab Archiepiſcopo Mediolanẽ. Eccleſiæ, quæ vt commodè à fratribus præſtari poſſint ſinguli Congregationis noſtrę Priores diligenter curabunt, vt in loco ſui Prioratus libri ad perſoluendum officium Diuinum, tàm cum nota, quàm ſine ea, vel ſecundum Romanum ritum, vel ſecundum Ambroſianum neceſſarij nullo modo deſint quorum negligentia Pater Rector Generalis, ſiue Prouinciales cũ viſitatoribus in ſua viſitatione acriter punient.

De hora qua matutinum dici per annum debeat et de ijs quos Choro intereſſe oporteat. Cap. II.

MATVTINVM nocte omninò celebretur, vel hora Matutina, pręterquàm prima die Aprilis vſq; ad diem

feſtum omnium Sanctorum excluſiuè, quo tempore propter noctium breuitatem poſt Completorium celebrari poterit: fratres autem omnes quicumque ſint etiam ſuperiores, & priuilegiati niſi quo tempore munus prędicationis exerceant, aut ex obedientia doceant, aut neceſſarijs Monaſterijs, & ordinis negotiatorijs tractandis occupati ſint omnibus officijs diurnis, & nocturnis intereſſe debent.

De modo Orationis Serotinæ. *Cap. III.*

DECERNIMVS, & mandamus, vt fratres noſtri poſt cœnam vel collactionem conueniant hora, quæ Priori commoda videbitur, pulſata pro ſigno ſilentij Campanella, omnes cuiuſcumq; gradus vel conditionis ſint etiam hoſpites, & aliorum conuentuum ſuperiores, infirmis tantum modo exceptis, ad Chorum, ſiue Capitulum accedát, ibiq; genuflexi cum ſilentio in ſpiritu aliquandiù orent: Tum Prior ſiue is maior ibi fuerit breuiter moneat, vt pro infirmis, aut alio modo Diuina ope indigentibus, aut benefactoribus, & in nos benemeritis, Deum orent, Deinde dicant vna cum fratribus voce mediocri, intelligibili, & diſiuncta, Confiteor Deo &c. Quo dicto ſurgat Prior, & finito miſereatur, & Indulgentiam &c. adiungat, ſurgentibus omnibus: Oremus pro benefactoribus noſtris viuis, atq; defunctis Retribuere dignare &c. Tum Cantor eadem voce incipiat Pſalmum Ad te leuaui &c. Chorus proſequatur, In cuius fine dicatur Kyrie eleiſon &c. Prior adijciat Pater noſter &c. ſecreto, & ne nos &c. ſaluos fac &c. Domine exaudi or. &c. Dominus vobiſcum &c. oremus Deus omnium fidelium Paſtor, & Rector famulum tuum N. quem Paſtorem &c. & famulos tuos Cardinalem Protectorem, & Rectorem Generalem cum tota Congregatione noſtra ab omni aduerſitate cuſtodi, ſalutem, & pacem tuam.

tuam noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam; & gentes Paganorum, & Hęreticorum, quæ in ſua feritate, ac peruerſitate confidunt dexteræ tuæ potentia conterantur. Prætende Domine &c. Poſtea pro mortuis alter Cātor incipiat Pſalmum Deprofundis &c. quem Chorus proſequatur cum Requiem &c. in fine Kyrie eleiſon &c. Pater noſter &c. orationes à Priore dicendæ erunt Deus veniæ largitor &c. fidelium Deus &c. His dictis genuflectant fratres, quos Prior aſpergat aqua benedicta dicens aſperge me &c. Tū & ipſe genuflexus dicat Salue Regina &c. vnus ex iunioribus dicat verſum ora pro nobis ſancta &c. Chorus reſpondeat vt digni efficiamur &c. Prior adiungat oremus Beatæ, & glorioſæ, qua oratione finita omnes benedicat dicens noctem quietam &c. Amen. Tum omnes ad ſignum Prioris cum ſilentio egrediantur, & in ſuam quiſq; cellam tendat, niſi aliquis orandi cauſa manere ibi aliquantulum voluerit.

De officio dicendo à fratribus conuerſis, et oblatis. Cap. IV.

COnuerſi ſingulis diebus hoc modo officium ſuum dicent. Primum ſignabunt ſe ſigno ſanctæ crucis, & ante omnes horas præmittent vnum Pater noſter, & Aue Maria; Tum dicent Deus in adiutorium &c. cum gloria Patri &c. Alleluia, vèl laus tibi Domine &c. pro matutino autem dicenda erunt xxx. Pater noſter &c. & xxx. Aue Maria, & in fine benedicamus Domino, Deo gratias, fidelium animæ &c. pro officio verò omnium defunctorum, v. Pater noſter, & v. Aue Maria dicant, & in fine requiem æternam &c. Pro benefactoribus verò viuis ordinis noſtri dicāt ſimiliter v. Pater noſter, & v. Aue Maria, & in fine Benedicamus Domino &c. Pro veſperis erunt dicenda xv. Pater noſter, & xv. Aue Maria.

Pro benefactoribus defunctis v. Pater noſter, & v. Aue Maria cum requiem. Pro benefactoribus verò viuis totidem Pater noſter,& Aue Maria cum Gloria Patri &c Benedicamus Domino Deo gratias. Ad primam, tertiam, ſextam, nonam, & completorium dicant x. Pater noſter, & totidem Aue Maria pro qualibet hora; Oblati eodem prorſus modo officium recitabunt, quemadmodum conuerſi præterquàm pro matutino dicent xv. tantum Pater noſter, & xv. Aue Maria cum Gloria Patri &c. Pro veſperis verò x. Pater noſter, & x. Aue Maria tãtum, & ad alias horas vij. Pater noſter & vij. Aue Maria pro qualibet hora. Pro benefactoribus autem viuis atq; defunctis, & in alijs omnibus officium dicent, ſicut conuerſi.

Suis autem horis omnes officium recitabunt: quod ſi debitè, & integrè facere prætermittent, ſecundum Prioris arbitriũ acriter puniantur. Quod ſi communibus negotijs, aut in aliqua obedientia occupati officium tempore ſuo recitare non poterunt, aut ante ſtatutum tempus, aut poſt cum à laboribus vacui fuerint, illud omninò dicant id quod de procuratore Conuentus dictum ſit.

De promouendis ad Sacros Ordines. Cap. V.

FRatres omnes, & ſingulos, qui ad minores, vel maiores ordines promouendi erunt, Pater Rector Generalis, aut Prouincialis cum viſitatore Prouinciæ in ſua viſitatione examinent de ſcientia, vita, moribus, ac de Natalibus, deque ætate ad præſcriptum Concilij Tridentini legitima aliundè accuratè inquirant. Et his, qui hac diligentia adhibita idonei inuenti fuerint facultatem dabunt ſuſcipiendi ordines cum litteris dimiſſorijs, ſeu commendatitijs, quibus, & probatæ vitæ, ac doctrinæ ætatesque legitimæ teſtimonium potiſſimum exprimatur.

De Confeſſarijs, & Concionatoribus. *Cap. VI.*

COnfeſſarios omnes noſtri ordinis, quibus iam confeſſiones ſæcularium audiendi munus commiſſum eſt, aut ad id obeundum admitti debent Reuerend. Rector Generalis & Prouincialis in ſua quiſq; Prouincia vna cum viſitatore de ſcientia, & moribus diligenter examinent, vel examinari curent; & quicumq; eorum Patris Rectoris Generalis, & Prouincialis, ac viſitatoris iudicio, ſeu examinatorum probatus non erit non exponatur examini ordinariorum, in quo examinatorum conſcientiam oneramus; nec quiſq́; pręficiatur Parochiæ Sancti Primi, aut alicui curæ annexæ Monaſterio cuiuſuis Prouinciæ iniuſſu & abſque ordine Reuer. Patris Generalis.

Priores in ſuis conuentibus conſtituant Confeſſarios, qui fratrum ordinis noſtri confeſſiones audiant, eiſq́; ad id poteſtatem ſpeciatim impertiant, reſeruatis tamē quibuſdam caſibus iuxta mentem Santiſſimi Domini Noſtri Papæ Pauli V. qui ſuperioribus religionum adimit poteſtatem obligandi quemquam ex fratribus, vt ſibi peccata ſua confiteatur.

Si quis peccatum aliquod, ſacramentum pœnitentiæ exercendo commiſiſſe depręhenſus fuerit, ei munus Confeſſarij, vel perpetuò, vel certè diù pro ratione culpę interdictum ſit, ac ſatisfactionem ſacrilegij, maliq́; exempli, ſi quod dedit, iuxta Patris Generalis arbitrium præſtet. idem fiet cum ijs, quibus concionandi officium vel iam commiſſum eſt, vel impoſterū committetur, qui in ea diœceſi, in qua ſunt concionaturi, debent ex Concil. Trident, vel petere benedictionem, ſi in proprijs Eccleſijs, vel huius muneris exercendi facultatem ab Epiſcopo impetrare ſi in alienis ſint prædicaturi, eadem ratione à Patre Generali, vel Prouinciali, & Viſitatore, quàm primum ſacerdotes omnes examinentur in ratione Miſſæ dicendæ, &

præter

præter intelligentiam,& deuotionem decentem etiam habeāt exteriorem modum in ritibus, & cœremonijs adhibendis ad audiẽtium ędificationem. Qui minus idoneus iudicatus fuerit, tandiù à celebratione ſuſpenſi ſint, donec alio ſimili examine ab eiſdem facto ſcripto approbentur.

De Nouitiatu, & Gymnaſio. Cap. VII.

CVm omnes Religioſorum ordines duobus potiſſimum nitantur, probitate,& litteris,ne quidquam ordini noſtro deeſſe poſſit, decernimus,& præcipimus,ne quidquam ordini noſtro deeſſe poſſit, in vna quaq; Prouincia inſtituatur Nouitiatus,& Gymnaſium,caueműsq́; ne admittantur nouitij, niſi iuxta Bullam Sixti V. & moderationem Gregorij XIIII. & declarationem Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper regulares, vbi neceſſitas poſtulat, vt in aliquo cœnobio degant nouitij ſeparatim, iuxta regulas Clementis Octaui de nouitiatibus inſtituendis, & Clerici extra nouitiatum in loco præſtituto Gymnaſio Pater Generalis, aut Prouincialis iuſſu Generalis conſtituet aliquem, qui illos bonis moribus,& litteris inſtruat, obſtringendo Priores adhoc exequendum pœnis ipſius patris Generalis arbitrio.

Quod ſi cœnobium, in quo eſt Gymnaſium, aut in quo Nouitij profeſſi ſtudiorum cauſa collocantur, nouitios hos omnes, & ſtudentes alere, & ſuſtentare nequeat. Pater Rector Generalis iubebit, vt ſingula prouincię Monaſteria,quantum neceſſe fuerit,in ſubſidium contribuant.

De qualitate recipiendorum ad Congregationem, deque educatione, & magiſtro eorum. Cap. VIII.

NEmo poſſit ad habitum noſtrum in clericum recipi, niſi legitime, parentibuſque bonæ famæ natus, corpore ſanus,ac

nus, ac mente, quiq; & ad literas diſcendas, & ad labores ordinis noſtri perferendos, aptus eſſe cenſeatur fratrum Iudicio, neq; recipiatur ante decimumquartum annum completum, niſi Pater Rector Generalis propter grauem aliquam cauſam ſecus faciendum eſſe exiſtimabit. Sciat præterea, qui recipiendus eſt legere, & ſcribere, ac concordantias ſaltem, niſi adeò bona ſit indole, vt ingenij acumine progreſſum in litteris facturus eſſe videatur.

Qui verò pro conuerſis recipientur, maiorem, ſi fieri poſſit, ætatem habeant, ſintq; & ipſi legitimè nati, & corpore in primis ſani, quippè quorum intereſt, ordinis labores & miniſteria ſubire.

Donati verò qui, & layci dicuntur, ad ordinem, niſi vigeſimum ſaltem annum attigerint, nõ recipiantur. Horum etiam proprium munus erit, officia conuentus cum charitate, & humilitate obire fratribus iuſſu Prioris ſeruire, hortos, vineaſque colere, atq; huius generis munera exercere. Quos Prior vagari, aut otioſos eſſe non ſinet.

Qui poſtulat ad religionem recipi non ſtatim admittatur, ſed ſemel, atq; iterum à Priore loci; Tum eius ab alijs probatis patribus voluntas, eius ſcientia mores, & cauſæ omnes, quoad eius fieri poterit, diligentiſſimè inquirantur, interim verò ad conuentum frequenter accedat, & peccata ſua confitebitur, & ſacram communionem ſumet, & ordinis mores diſcet.

Quòd ſi recipiendus ſeniorum iudicio eſſe videatur Capitulo Conuentus proponetur, qui ſi per ſecreta ſuffragia maioris, & ſanioris partis dignus iudicabitur, qui recipiatur, ſtatim Prior Patri Rectori Generali ſcribat, nuntietq; quid de illo verè, & ex animo ſentiat, fratrumque præterea ſcriptas teſtificationes ad eum mittat. Pater Generalis in ſua viſitatione, recognitis iam ante litteris à fratribus acceptis audito etiam Priore loci de eo, deliberabit.

Illud

Illud autem præter cœtera caueant ſuperiores, ne quiſquã, quicumq; ille ſit, recipiatur, quem Congregatio noſtra conſuetis redditibus,& eleemoſynis commode ſuſtentare, & alere non poſſit.

Meminerint omnes Anathematis, à Concilio Trid. dantibus & accipientibus propoſiti, ſi quidquam aliud præter victum & veſtitum, quocumq; prætextu à nouitio, eiusvè parentibus,vel propinquis, curatoribus,etiam ſpontè oblatum, quo tempore in probatione eſt, ſuperiores acceperint, aut abeunti ante profeſſionem omnia, quæ ſua erant non reſtituerint.

Nouitiatui autem præficiatur aliquis pater vir fidelis iuxta regulam Clementis Octaui, & in rebus ſpiritualibus ac religionis ſufficienter verſatus in magiſtrum nouitiorum, qui inſtruat eos ac doceat Religionis mores officium cœremonias, quomodo interius atque exterius ſeſe habere debeant, & ad id eos hortetur,& amanter admoneat,quem omnes qui in nouitiatum ſunt diligant,ad quem in ſuis perturbationibus confugiant,cui confidenter omnia detegant, & à quo conſolationẽ, & auxilium in omnibus ſperent.

De modo veſtiendi Nouitios. Cap. IX.

CVm verò recipiendi fuerint Nouitij, primò radantur, & calcientur ad modum fratrum,& tunica ordinis inducti cum aliqua ſeculari veſte ſuperpoſita,ducãtur ad Eccleſiam,ac proſternant ſe in medio, & interrogati à Priore quid quærant reſpondeant Miſericordiam : Dei,& ordinis.

Quibus ſurſum erectis exponat illis Prior aſperitatem, ac fundamentum ordinis,ſcilicet paupertatem ſine proprio in particulari viuere, Caſtitatem perpetuò ſeruare, & obedientiã voluntariam vſque ad mortem exhibere.

Quibus

Quibus expoſitis requirat Prior voluntatem illorum, qui ſi reſpondeant ſe velle cuncta ſeruare, & ſeculo, & pompis Diaboli renunciare immediatè benedicentur omnia veſtimenta, ſi fuerint noua hoc modo.

Benedictio Veſtimentorum.

DEus in adiutorium &c. Kyrie eleiſon, Kyrie Kyrie, Pater noſter. Ver. Ego dixi Domine miſerere mei. ℟. Sana animam, quia peccaui tibi. Ver. Conuertere Domine aliquantulum. ℟. Et deprecabilis eſto ſuper ſeruum tuum. Ver. Dominus vobiſcum. ℟. Suſceptor noſter Deus Iacob. Ver. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis Ver. Exurge Chriſte adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. Ver. Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine ſancte Pater omnipotens, qui per filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſtolam immortalitatis, quam per protoplaſti culpam perdideramus reddere dignatus es; hęc indumenta famulo in ſignum humilitatis, & obedientiæ dedicata per virtutem ſancti Spiritus benedicere, ✠ & ſanctificare ✠ digneris, vt cum ea indutus fuerit omnium peccatorum ſuorum ſorde ablui mereatur. Per Dominum noſtrum, &c.

Alia Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui tegumen noſtrę mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus veſtimentorũ, quod ſancti Patres

ad Innocentiæ,& humilitatis indicium ferre ſanxerunt,ita benedicere ✠ digneris, & qui hoc vſus fuerit, & induere mereatur; Qui cum Patre,&c.

Deinde aſpergat nouitium,& veſtes aqua benedicta poſtea exuat cum habitu ſeculari dicendo, Exuat te Deus veterem hominem actibus ſuis Amen.

Prædictæ veſtes ſeculares ſeruentur vſquè ad profeſſionem.

Sequentes Orationes dicantur ſuper recipiendos flexis genibus ante Altare. Oratio ad Patrem.

DEus innocentiæ Pater, qui ſeueritatem tuæ diſtrictionis temperans indulſiſti, ne filius portaret iniquitatẽ patris, & qui etiam mira diſpenſatione malis bene vtens tuę dignationis gratiam per eos frequẽter operaris, quęſumus clementiam tuam, vt huic famulo tuo N. nõ obſit huius ſancti habitis ſuſceptio, quam ad honorem Beatorũ Barnabæ Apoſtoli, & Ambroſij Pontificis Patronorum Ordinis noſtri accipere anhelat, vt quod per nos exterius geritur tu interius per gratiam ſancti ſpiritus exequaris. Per Dominum.&c.

Oratio ad Filium.

DOmine Ieſu Chriſte qui es via, ſine quà nemo venit ad Patrem; quæſumus clementiam tuam, vt hunc famulum tuum N. à carnalibus deſiderijs obſtractũ per iter diſciplinæ regularis deducas, & qui peccatores vocare dignatus es dicens, venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, præſta, vt hæc vox incitationis tuæ ita in eum conualeſcat, quatenus peccatorum onera deponens, & quam dulcis es guſtans tua refectione ſuſtentari mereatur; Qui viuis, &c.

Oratio

Oratio ad Spiritum Sanctum.

SAncte Spiritus qui te Deum, ac Dominum reuellare dignatus es mortalibus, poſtulamus immenſæ pietatis tuæ gratiam, vt ſicut vbi vis ſpiras, ſic etiam famulo tuo N. affectum deuotionis infundas, vt, quem tua ſapientia condidiſti, tua quoq; prouidentia gubernare digneris, quod iuxta tuã conſuetam gratiam vnctio tua ſancta de omnibus docet, & per interceſſionem Beatorum Barnabę Apoſtoli, & Ambroſij Pontificis tui, quos præcipuos huius ſanctæ Religionis Patronos dediſti, eum à vanitate huius ſeculi veraciter auerte, & ſicut es omnium peccatorum remiſſio, ita deprimens in eo colligationes diſſolue, & ad obſeruantiam huius Sancti propoſiti fac eum ita certatim feruere, vt in tribulationibus, & anguſtijs tua indeficiente conſolatione valeat reſpirare, & iuſtè, & piè per veram humilitatem, atq; obedientiam, caſtitatem, & paupertatem in fraterna charitate fundatus, quod, te donante promittit, felici perſeuerantia compleat. Quod ipſe præſtare digneris, qui es benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Quibus finitis, induat eum Prælatus habitu Nouitiorum dicendo Ver. Induat te Dominus nouum hominem qui ſecũdum Deum creatus es in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Deinde aſpergat eum aqua benedicta, & dicat hanc Orationem, imponendo ei nomen.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum N. benedicere ✠ dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum Sacræ Religionis impoſuimus, vt te largiente deuotus in Eccleſia tua perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum noſtrum, &c.

Et ſic indutus proſternat ſe ante Altare & cæteris fratribus in locis ſuis aſtantibus Cantor, vel Prior incipiat.

TE Deum laudamus, & Chorus proſequatur, Quo finito dicitur Kyrie, Kyrie, Kyrie, Pater noſter; Et ne nos inducas, & Ver. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus quod operatus es in eo Ver. Saluum fac ſeruum tuũ. ℟. Deus meus ſperantem in te Ver. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici, & perſequentis Ver. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Orate pro eo Beate Patres Barnaba, & Ambroſi. ℟. Vt dignus efficiatur promiſſionibus Chriſti. Ver. Domine exaudi orationem noſtram. ℟. Et clamor meus ad te perueniat. Ver. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DEus qui corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti da famulo tuo in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum.

DEus qui iuſtificas impium, & non vis mortem peccatorum Maieſtatem tuã ſuppliciter exoràmus, vt famulum tuum N. de tua miſericordia confidentem cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerues vt tibi iugiter famuletur, & nullis tentationibus, à te ſeparetur. Per Do,

DEus qui non vis mortem peccatoris, ſed per pœnitẽtiam, & emendationem vitam ſemper inquiris, te ſuppliciter deprecamur, vt famulum tuum N. ſemper, & vbiq; protegas, & omnibus ſecularibus actibus renuncianti largæ tuæ pietatis gratiam infundere digneris quatenus Caſtris tuis inſertus, ita tibi militañ ſtadium vitæ præſentis percurrere valeat, vt brauiũ ęternę retributionis te donantè percipiat, & ſic te inſpirãte

noſtris

noſtris optat iungi conſortes, propter quod damus ei communem ſocietatem viuendi nobis cum quantum à te poſſumus promereri Per Chriſtum &c. Deinde aſpergatur aqua benedicta quo, facto legatur alta voce, & diſtinctè ſequens exortatio Beati Auguſtini.

OMnes quamuis per gratiam baptiſmi fratres ſimus in Chriſto, & vnum patrem habeamus in Cęlo ſi eius pręceptis prout poſſumus obſequimur proculdubio tunc maximè vnimur, quando orationibus, & beneficijs nos inuicem copulamus: quoniam hæc in primitiua Eccleſia Sancti Patres, quibus cor vnum, & anima vna erat feciſſe leguntur. Quorum plures Chriſti amore ſuccenſi paſſiones, & facultates rerum vendentes congregatis in vnũ omnibus pretia ad pedes Apoſtolorum deferebant gaudentes, quæ Apoſtoli accepta tribuebant omnibus, prout opus cuiq; erat ſicq; iſte nihilominus Deo inſpirante eorũ commonitus exemplo noſtris optat iungi conſortijs idcircò domum ei communem viuendi nobis cũ damus quantum à Domino poſſumus promereri, & noſtrum eſt elargiri quatenus vna cum electis à remuneratore omnium bonorum valeat præmia promiſſa percipere. Per Chriſtum.

His dictis eleuetur de terra, oſculatoq; dextero cornu Altaris reuerenter accipiatur ad oſculum, ac per ordinem collocetur cum cęteris fratribus.

De modo Profeſſionis faciendæ. Cap. X.

OMnibus Prioribus Congregationis noſtræ ſtrictę præcipimus, vt ſuos nouitios poſt expletum xvj. annum ætatis ſuæ & poſt annum probationis expreſſam omninò profeſſionem emittere faciant, ſeruabitur autem ordo huiuſmodi. Finito probationis tempore Prior de vita, & moribus Nouitij diligenter ab illis inquiret, quibus cum ille ver

ſatus fuerit, maximè verò à Magiſtris ſuis,qui ſiue pro eo,ſiue contra eum odio omni moreq́; poſpoſito verum teſtimoniũ reddere teneantur,ſi profiteri noluerint nullo modo cogatur, ſed habitus ordinis exutus, & ſuis ſecularibus veſtibus indutus ad ſeculum remittatur.

Quod ſi,& ipſe voluerit,& de eius perſeuerantia in virtute ſpes probabilis habeatur, proponet eum Prior Patribus in Capitulo,coram quibus ijdem magiſtri mores,& ingenium nouitij verè, & in conſcientia exponent. Tum ſi maior pars vocalium cum ſuffragijs ſuis admittet,tempore, die,& hora,qua Priori videbitur congregatis fratribus omnibus in Choro,Eccleſia,vel Capitulo,Nouitius veſtitus tunica,ſcapulari,& Cappa ſiue Mantello de ferrugineo, ſeu taneti panno à Magiſtro ſuo ducetur,genufleƈtetq́; ante Priorem,qui ab eo ſtatim petat quid velit, & ille reſpondebit Miſericordiam Dei, & ordinis Tunc exponat ei Prior ordinis aſperitatem maximè verò paupertatem, caſtitatem, & obedientiam regularem,qua illi ſeruanda erunt vſq; ad mortem. Quibus expoſitis requirat iterum Nouitij voluntatem; qui ſi reſpondeat ſe velle cunƈta cũ Dei auxilio ſeruare,& nullum ſubſit impedimentum,tunc ponat manus ſuas flexis genibus inter manus Prioris, & dicat in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſanƈti Am̃. Ego Frater N.de N.filius N.Clericus,vel cõuerſus,facio, voueo,& exhibeo profeſſionem meam Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſanƈto, Glorioſæ Dei Genitrici Virgini Mariæ,Beato Barnabæ, & Beato Ambroſio Patronis Ordinis noſtri,ac tibi Patri Fratri N. de N. Priori conuentus N. Ordinis ſanƈtorum Barnabæ & Ambroſij obedientiam,paupertatem, & caſtitatem, ac promitto tibi tuisq́; ſucceſſoribus viuere ſecundùm regulam S. Auguſtini, laudabilesq́ue etiam,& approbatas conſuetudines,ordinisq́ue diƈtę Conſtitutiones, & ordinationes pro virili parte quo ad viuam obſeruabo.

Quo

Quo facto Prior dicat Dominus, qui in te incepit bonum opus ipſe perficiat. Amen.

℣. Oſtende nobis Dñe miſericordiam tuam. ℟. Oſtende faciẽ.
℣. Domine Deus virtutum conuerte nos. ℟. Oſtende faciem.
℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus, &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui tegmine noſtræ mortalitatis, & induere dignatus es obſecramus tuę largitatis abũdantiam vt hunc famulum tuum, qui hodie profeſſionem emittens, Innocentiæ, & humilitatis tuæ imitandæ cauſa ſeculo, pompisq́; eius abrenunciauit, ita hic benedicere digneris vt te in Cœlis perpetuum poſſidere mereatur. Qui cum Patre, &c.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, Pater miſericordiarum, & condonator peccatorum, qui dixit, Nolo mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat, qui non venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, ipſe te de ſua ineffabili miſericordia, & inclyta pietate ad veram cordis cõtritionem vocet, gratiamq́; tibi pœnitentiæ inſpiret, vt votum profeſſionis, & promiſſa ſancto ordini adimplere, ac in ſuo ſancto ſeruitio perſeuerare, & cum electis eius ad æterna gaudia fœliciter valeas peruenire. Qui viuit, & regnat. Amen.

Deinde aſpergat eum Prior aqua benedicta; Tum ad Chorum ducatur, ibique cęteris fratribus in locis ſuis ſtantibus ſe ante Altare proſternat, & Prior incipiat.

Te Deum laudamus, &c. Kyrie &c Pater noſter. Sed libera.
℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus quod operatus es in eo. ℣. Saluũ fac Domine &c. ℟. Deus meus ſperantẽ.
℣ Eſto Domine turris fortitudinis. ℟. Et filius iniquitatis &c.
℣ Orate pro eo Beati Patres Barnaba, & Ambroſij. ℟. Vt digni efficiatur, &c. Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dñm, &c.

DEus, qui iuſtificas impium, & non vis mortem peccatorum, maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, vt famulos tuos de tua Miſericordia confidentes, cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerues, vt tibi iugiter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur. Per Dominum noſtrum, &c.

DEus miſericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, ſine quo nihil boni inchoatur, nihilq́ue boni perficitur adſint noſtris humillimis precibus tuæ pietatis aures, vt hunc famulum tuum à mundi impedimento, & à ſeculari deſiderio defende, & concede eis, vt in hoc ſancto ſuo propoſito perſiſtere poſſit, ac ſuorum remiſſionem habere peccatorum, vt ad electorum tuorum conſortium peruenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

DEus, qui non vis mortem peccatorum, ſed ad pœnitentiam, & emendationem vitam ſemper inquiris, te ſuppliciter exoramus, vt huic famulo tuo ſecularibus actibus renunciáti largè tuæ pietatis gratiam infundere digneris, quatenus Caſtris tuis inſertus, ita tibi militando, ſtadium vitæ præſentis percurrere valeat, vt brauium ęternæ remunerationis te donante percipiat, qui te inſpirante noſtris voluit iungi conſortijs communemq; habere nobiſcum formam viuendi ipſemet, per infinitam miſericordiam tuam vna nobis cum ad te peruenire mereatur. Per Dominum noſtrum, &c.

PRofeſſione facta, qui in humanioribus litteris eruditi fuerint ad conuentum, in quo erit Gymnaſium mittentur; Qui verò ad litteras inepti erunt in alijs Monaſterijs à Patre Rectore, vel Capitulo Generali, vt eis melius viſum fuerit collocabun-

locabuntur. Habenda eſt enim horum etiam cura ne regularis diſciplina, quàm in Nouiciatu didicerunt cum ordinis, & ipſorum detrimento pereat. Et nè ex eorum ignorantia dedecus ordinis oriatur, vel alicui ex patribus peritiori, vt eos Gramaticam doceat, conſignabuntur, vel inter conuerſos deputabuntur.

De forma, & qualitate veſtium Fratrum noſtrorum. Cap. XI.

VEſtes fratrum noſtræ Congregationis vna eademq́ue forma, & colore etiam eodem ſint nempè ferrugineo, quem tanetum ſub oſcurum vocant; inhibemus autem omnem alium colorem in veſtibus fratrum, & quamcumq́ue curioſitatem, tàm in materia, quàm in forma, quæ habitum ſęcularium imitetur, vel noſtram non deceat paupertatem, & honeſtatem. Diſtinctus verò ſit habitus oblatorum ab habitu Conuerſorum, ita vt oblati induantur tunica, & tabarro humiliusq́, ad dimidiam tibiam. Conuerſi autem deferant habitum quemadmodum alij fratres excepta honeſta, quę vſquè ad genua tantùm pertinget. Nouitij verò, tàm clerici, quàm conuerſi deferant tantum ſimplicem.

Vocem in capitulo nullam habebunt conuerſi, neq; clerici etiam profeſſi, qui ſaltem in ſacro Subdiaconatus ordine conſtituti non ſint, ſed tamen ad Capitulum, vel parum venire etiam non vocati teneantur. Nemini licentia concedatur ſacris initiandis, qui expreſsè profeſſus non ſit, qui ſecus fecerit pœnę grauioris culpæ ſubiaceat, officioq; voce, & loco in capitulo, & choro vſque ad biennium priuatus exiſtat. Pilei, quibus fratres vtuntur, ſint forma decenti, & colore veſtitus, vel ſaltem nigri; calceos decentes omnes deferant: Nemo chirothecas induat, niſi in itinere, nec cingant, ſe alio cingulo q̃ nigri coloris, quod fibula ferrea, vel oſſea tenui annectatur. Ferraiola, vel

mantella per vrbes, oppidaq́; & loca præterquàm cum pluit non ferant. Poterunt etiam neceſſitatis cauſa aliquando deferri Berettini extra monaſterium nullo modo gerantur. Domi verò ſi ferentur nullo artificio ſint.

De cellis Fratrum, & earum ſupellectili. Cap. XII.

FRatres omnes Congregationis noſtræ habitent in cellis dormitorij ſibi conceſſis, & non alibi, quarum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſumus conueniat nihilq́; ſuperſit in eis, nihil etiam, quod ſit neceſſarium dici. Sint prętereca cellę parietes nudi, nec liceat alicui quicquam eis affigere, niſi fortaſſe ſtoream ſanitatis cauſa, neq; ibi ſint hiſtoriæ, vel imagines turpes, aut prophanæ. Prouideatur autem vnicuiq́; de lecto decenti, ac religioſo, de menſa de ſede, deque Cādelabro, ſiuè lucerna. Coopertorium verò ex ſerico, aut delicatum, & curioſum nullus frater cuiuſuis conditionis exiſtat etiam ſi ſit infirmus in conuentu teneat. Prior ſaltem bis in anno cellas omnes ſui cōuentus viſitet, aſſumptis ſecum duobus ex grauioribus patribus conuentus. Fratres inſuper teneantur Priori per ſe, aut per alium petenti dare claues quarumcumq́; arcarum, ſi eas in cellis habuerint, vel cuiuſcumque armarij, vel loci; Quæ verò in cellis Prior inueniet, quæ cum paupertate, & honeſtate noſtra minus cōgruant omninò auferat, atq́; vel illa veſtiario attribuat, vel vendat honeſtioraq́; emat & in fratrem præterea, cuius cella erat pro grauitate culpę animaduertat. Idem faciat ſi libros prophanos, vel aliquid huiuſmodi repererit, quod profeſſioni noſtrę religioni, & honeſtati repugnet.

De ca-

De capitulo generali, et de his, qui ad illud accedere debent. Cap. XIII.

DIes capituli generalis feria quinta quartæ hebdomadę poſt Paſcha Reſurrectionis ſingulis trienniјs ſemper indictus eſſe cẽſeatur. Capitulum generale in ea prouincia celebrabitur, de qua decretum fuerit ex ſerie prouinciarum debere eligi Generalem, in eoque Conuentu Congregatio generalis ſubſequens celebrabitur, in quo congregatio generalis proximè antecedens celebrari præſcripſerit.

Nec verò Patrum numerus, ac multitudo ad capitulum generale confluentium confuſionẽ pariat, & ſumptus per grandes pro inopia conuentuum ſtatuimus, nè ad Capitulum generale accedant, niſi Reuerendiſs. Pater Generalis Procurator ordinis, Prouinciales, Viſitatores, Priores, ac Patres, qui ſemel ad officium Generalatus aſſumpti fuerunt, & diſcreti ſingulorum Conuentuum, qui legitimè fuerint electi per ſuffragia maioris partis in illis tantùm conuentibus, in quibus adminus quinq; fratres profeſſi, & in ſacris conſtituti degunt: & in pari voto antiquior profeſſus electus eſſe cenſeatur, qui omnes eius ſuffragijs habebunt, tàm actiuum, quàm paſſiuum ad electionem generalis. Succedant quoq; quotquot à Reuerendiſſimo Patre Generali per litteras publicas, vel priuatas vocati fuerint, ſiue propter diſputationes, & conciones habendas, ſiue ad aliquod officium publicum obeundum in Capitulo; qui tamen vim ſuffragij ferendi in electionibus nequaquam habebunt, ad Capitulum generale proficiſcentibus prouideatur à ſuis conuentibus de expenſis pro itinere conficiendo, prout taxatum fuerit à Patre Rectore Generali, vel à Generali Capitulo iuxta eorum qualitatem.

REuerendiſs. Pater Generalis Congregatis omnibus vocalibus poſt Miſſæ ſacrum ſolenne de Spiritu ſancto ad ſonum tintinabili in ipſo Capituli principio in loco decenti, vbi omnes adeſſe poſſint, dicat Adiutorium noſtrũ In nomine Domini, &c. Quo expleto omnibus, & ſingulis præcipiat, vt ſi quis litteras habeat S.D.N. Papæ, vel Illuſtriſs. Protectoris ad Capitulum directas eas protinus legendas exhibeat hoc autem præceptum (ſi litterę non oſtendantur) paruo temporis interuallo ter ſucceſſiuè fiat, tertia vice ſub pœna excommunicationis pręcipiendo ſi quiſpiam huiuſmodi litteras exhibuerit decernimus illas ab omnibus debita cum veneratione ſuſcipi, & ibidem in Capitulo coràm omnibus publicè legi eisq́; (vt par eſt) in omnibus obedire. Et ſi virtute illarum litterarum aliquis illius Capituli, vel quis alius pręſidens inſtitutus fuerit his ab omnibus pro Præſidente illius Capituli habeatur, & Præſidentis officio fungatur tanta auctoritate quantam, vel S D. N. vel illius Protector ei conceſſerit. Præſidens obedientia ſibi præſtita, ac reuerentia, per Patrem Generalem, & reliquos Patres ſucceſſiuè (ſi ſibi videbitur) ſermonem aliquem opportunũ habere poterit ad patres. Quod ſi præſes nõ fuerit deſignatus per litteras S. D. N. nec Illuſtriſſimi Protectoris, eligetur Præſes votis omnium ſecretis.

Deindè ipſe Præſidens ſi electus, & Pater Generalis, cum duobus iudicibus, vt infra eligendis menſę Capituli, aſſidebunt, & litteras Diſcretorum Prouinciarum examinabunt, ac de habentibus vocem, tàm actiuam, quàm paſſiuam omnem controuerſiam dirimert.

Præterea vocalis Capituli generalis eligent, ac deputabunt per vota ſecreta duos patres iudices cauſarum omnium Capituli omnesq́; controuerſias in Capitulum adductas, per accu-

ſationem,

ſationem, & querelas quacumque de re, tàm fratrum, quàm ſæcularium cum fratribus, & quando omnes cauſæ ad finem perduci non poterunt Reuerendiſs. Pater Generalis, qui creabitur committet illas patribus ſenioribus, & peritioribus, qui ſingulorum rationes audientes ea, quæ pacis ſunt in omnes intendant. Omnes autem deciſiones, quæ à prædictis iudicibus fient, in vno aliquo libro ſcribantur, & ab ipſis ſubſcribantur à quorum ſententia nulli liceat appellare, niſi fortè abſens, vel non auditus fuiſſet; quo caſu Generalis futurus illi prouideat.

Patres aſſidentes menſæ pertractent, proſequantur, perficiāt omnia Capitularia negotia. Primum autem omnium diſquirant eorum adminiſtrationem, qui ſuperiori triēnio officium aliquod geſſerunt, nimirum Patris Generalis Prouincialium Viſitatorum, & Commiſſariorum, qui fuerunt, ac Priorum ſingulorum, idq́ue præſtent non modo audiendo querelas, ſi quæ contra illos opponantur; ſed etiam reuidendo acta adminiſtrationis eorum proceſſus, ſententias, & alia eiuſmodi ſummarias quoq; relationes eorum, quę de ſtatu ſingularum Prouinciarum ſingulorumq́; Monaſteriorum ad Capitulum referre neceſſe ſit. Inuentaria inſuper bonorum mobilium, & immobilium ſingulorum Monaſteriorum, quæ viſitatores, vel diſcreti Conuentuum præſentabunt: Tum rationes accepti, & expenſi deinde de moribus ſingulorum fratrum, qui eo triennio in eorum prouincia vixerunt, breuiter referant, ſiue laudabiliter, ſiue ſecus egerint. Caueat tamē ne ex eorum dictis contra iuris, & Charitatis ordinem infamia alicui irrogetur.

Viſitatores pręterea, Prouinciales, ac Rector. Generalis exponent, quæ in tota religione, & ſingulis Prouincijs notatu digna deprehenderint, ſiue ratione Monaſteriorum, ſiue fratrum referant ſubinde, ſi quæ decreta, aut correctiones grauiores, aliavè remedia in grauioribus præſertim cauſis ab illis, vel monaſterio, vel fratri adhibita ſint, quę ruſſus in Capitulo

tractan-

tractanda, & Capitulariter, cognoſcenda iudicarentur.

Quiſque verò diſcretus primum exponat, quæ in mandatis à fratribus habet ſui conuentus; tum ipſe interrogetur de ijs, quæ ad Monaſterium, cuius eſt diſcretus, & ad fratres illius pertinent, ad quæ fideliter ſincereq; reſpondebit. Præter cętera exquirant num Rector Generalis, Prouincialis, Viſitatores, Priores, & alij Officiales in ſua adminiſtratione, Cõſtitutiones, Decreta, & regulam ipſi obſeruauerint, & ab alijs ſeruari curauerint, & ſi quid in eo prætermiſerint, impedimenta, ſi ſciteneur, quàm ob cauſam id factis nequaquam ſit ex his alijsque percunctationibus, ac relationibus, quæ vel reprehendenda, & corrigenda, vel rurſus commendanda, & comprobanda cẽſuerint prædicti Patres aſſidentes cum Præſidentes inter ſeſe tractent, decernant, exequantur, damnent, commendent, ac puniant, vt maiorum ipſorum parti libuerit. Si quid etiam vel priuatim pro aliquo loco, vel generatim pro bono communi decernendum exiſtimauerint. Statuant, ac decernant maximè illa, quæ ad executionem Regulę, & Conſtitutionum ordinis in hoc generali Capitulo editarum, & ad pietatẽ regularemq; obſeruantiam augendã attinent ſtatuere, & decernere poſſint. Hæc ſic definita, & decreta, ſi ad totum ordinem ſpectant, & fuerint à maiori parte capituli comprobata ordinationis tantum vim habeant ad hoc, vt in toto ordine in conſuetudinem, & vſum induentur etiam non niſi poſt aliud capitulum generale proximum conſtitutionis vim habeant. Atq; hæc omnia tridui interuallo conficiantur, niſi rerum tractandarum, vel multitudo, vel grauitas aliquãto longius tempus expoſtularet.

De electione Reuerendiſſ. Patris Generalis. Cap. XV.

TErtia die Capituli poſt Miſſæ ſacrum de Spiritu Sancto ſolemniter celebratũ ad pulſum Campanellæ, vt mos eſt, Congregatis Patribus, qui habẽt vim ſuffragij, fiet electio Reuerendiſ-

uerendiſſimi Patris Generalis hoc modo prius procedendo ab Eccleſia ad locum Capituli decantetur Hymnus: Veni creator & in fine. ℣. Emitte ſpiritum, &c. Præſidens dicat Orationes, Deus qui corda fidelium Actiones, & orationes de Sanctis Patronis noſtris Barnaba, & Ambroſio deinde à Præſidente pro noua electione facienda hortatis Patribus è veſtigio nomina omnium vocalium deſcripta audientibus omnibus recitētur.

Quibus recitatis Præſidens cum patribus aſſiſtent menſę in in qua expoſita erit buſſula, & vbi vnuſquiſque ex electoribus ſcripſerit in parua ſchedula nomen illius patris, quem in Generalem eligere voluerit, illam mittet ſecretò in eam buſſulá, Mox ſchedulis, à Præſidente, & Prænominatis Patribus, calculatis, & collatis, ad numerum votorum, ſeu vocum, atque diligenter, & fideliter inſpectis, à ſecretario Capituli pronunciabitur in Rectorem Generalem is, in quem plura vota, & ſuffragia ſupra medietatem ſuffragiorum conſenſerint: ſiue is qui aliquo voto, & ſuffragio medietatem omnium votorum capituli ſuperauerit. Omnes hortamur, vt in hac ſuffragiorum ratione enumeranda ſecreta omninò ſint ſingulorum vota, iuxta decretum Sacri Concil. Trident.

De electione Prouincialium, Viſitatorum, & Priorum. Cap. XVI.

PAter Generalis electus poſtquàm cũ patribus, qui fuerũt Generales, & Prouincialibus diligenter inquiſierit pro locorum ſingulorum indigentia, qui nã patres ad prouinciæ, & Prioratus Cuiuſq; munus apti videantur, ipſe ſolus proponet toti capitulo, non tamen ſine conſenſu pręrorum Patrum, quem pro ſua conſcientia iudicauerit dignum, qui viſitationi prouinciæ, aut gubernationi monaſterij alicuius proponatur, & qui plusquam media partem ſuffragiorum omnium habuerit, is officium Viſitationis, vel Prioris obtineat.

De offi-

De officio. & auctoritate Reuerendiſsimi Patris Generalis. Cap. XVII.

GEneralis eligi, & eſſe non poſſit, qui ad minimum non ſit ætatis annorum triginta expletorum, & ſacerdos, & profeſſus regulam noſtræ Congregationis ſaltem vna vice Prior, vel Viſitator, aut Prouincialis, & ad Conſtitutioné Ordinis noſtri obſeruantiam propenſus.

Patri Generali pro tempore exiſtenti omni reuerentia, & ſubiectione omnes Prouinciæ omnesq́; Conuentus, vt decet, obediant memores profeſſionum ſuarũ, in quibus ei obedientiam ſolenniter promiſerunt. Ipſe verò, qui omnibus præeſt non sè exiſtimet (vt in regula B. Auguſtinus ait) poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fœlicem circa omnes ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum, eoq́; modo curet iuſtitiam ſeueritatemq́; cum miſericordia, benignitateq́; miſcere; vt nec ſe ab eo deduci permittat, quod ex officio debet facere, nec filijs ſuis, cum opus eſt compati obliuiſcatur.

Circa illaq́; ſunt regulæ ſubſtantialia, quæque ſtatum concernunt obſeruantiæ diligentiſſimè vigilet, percipuè verò curet, vt conſtitutiones noſtræ ab vniuerſa Congregatione noſtra ſeruentur Congregationemq́ue ipſam cum opus ſit omni vi ſubleuabit, benè habentem cuſtodiet, eamq́; in dies magis, ac magis amplificare ſtudebit. Toto ſuo triennio, ſemel dumtaxat viſitet ſingula noſtri Ordinis monaſteria, eritq́; illi Viſitator in viſitatione ſocius.

Penes Reuerendiſs. Generalem erit auctoritas licentiam cõferendi, vt fratres noſtri Ordinis poſſint in vniuerſitatibus publicis inſignia doctoratus accipere non tamen huiuſmodi licentiam concedit, niſi ijs, qui toto vno triennio ſacrę Theologiæ operam dederit, & totos tres alios annos Philoſophiam, Theologiamvè docuerit.

Qui

Qui poſt promulgationem bullę vnionis fuerunt Generales habeant præcedentiam in foro, in Choro, & in Refectorio (vt decet) Habeat quoq; Pater Generalis facultatem aggregãdi ſęculares vtriuſque ſexus ad participationem bonorum, quę in noſtra Religione iam nunc fiunt, & deinceps peragentur à patribus, & fratribus cuiuſuis conditionis, & gradus. Curet Pater Rector Generalis, niſi rationabilis cauſa aliquando exigat in vno monaſterio diutius non eſſe, ne pauperibus monaſterijs oneri ſit, & vt pluribus præſentia ſua prodeſſe poſſit.

Veſtimenta, Prouincię omnes pro rata, quæ contribuere Generali in ipſo viſitationum tempore pro triennio conſueuerunt ei omninò ſuppeditare debeant. Cum Generalis ad alicuius Prouinciæ viſitationis munus obeundum proficiſcitur: Prouincia illa, ad quam viſitandam iter aggreditur, omnes im penſas dictas pro eo, proq; eius ſocio, cũ duobus eorum ęquis faciendas nimirum ſummam vigintiquinque ſcutorum ſubminiſtret.

Cum verò Generalis ad aliquem Prioratum accedere volue rit, impenſas dictas in itinere, & pro ipſo, & ſocio, & pro duobus illorum equis faciet monaſterium, ad quod proficiſcetur.

Vbi autem ad Capitulum generale illi proficiſcendum erit prouincia in qua electus eſt Generalis ſuppetitabit impenſas pro itinere. Videat Generalis, ne ſine rationabili cauſa itinera ſuſcipiat, & ne ſuperuacaneis ſumptibus victus, vel itineris nomine monaſterio alicui grauior ſit. Nulla pecunia pro confirmationibus ſigillo, ſcriptura, aut alia quacumque re, cauſavè detur, aut ſolua Qtur uicumq; contrafecerint, à capitulo generali grauiter puniantur.

Erunt autem ſigillo Religionis impoſterum in ſculptę immagines Chriſti Domini Cruci affixi, & SS. Barnabæ, & Ambroſij.

De morte vel depoſitione Patris Generalis ante celebrationem Capituli. *Cap. XVIII.*

SI quando grauis cauſa inciderit, ob quam ante triennium, & Capituli generalis celebrationem, ſeu coactionem videatur amouendus ab officio generalatus, Pater Generalis, Prouinciales, cum Patribus, qui fuerunt Generales, & Viſitatoribus, cauſas accurratè, ac omni amoto odio excutiant omnes, tum quicquid maiori eorum parti iuſtum, ac regulæ conſtitutionibuſq; noſtris, & iuri communi conſonum videbitur id exequantur exceſſus, quibus Pater Generalis deponi poterit graues eſſe debent, & certi, ac indubitati eorumq́; probationes canonicę, & efficaces, nam qui curam habent multitudinis facilè à multis varias ob cauſas pati calumniam poſſunt; Caſus autem huiuſmodi fermè erũt ſi minus rectè de fide Catholica ſentiant, ſi turpem vitam ducant & ſcandalis obnoxiã ſi conſtitutiones, & ordinationes, ac definitiones Congregationis noſtræ laudabiles à fratribus ſeruari neglexerit, ſi deniq́; manifeſtas, vel veridicè probatas graues fratrum culpas ſępe diſſimulauerit, neq; ſecundũ Cõgregationis ſtatuta correxerit.

Vacante Generalatu, per mortem, vel priuationem, ſeu remotionem primo anno, fiet noua electio Generalis in ea ipſa Prouincia, in qua primum fuerat electus Generalis demortuus. At ſi moritur ſecundo anno ſui Generalatus ſuccedat vſque ad proximum generale Capitulũ in adminiſtratione Procurator Generalis Ordinis, cum ea plena facultate, quam haberet Pater Generalis, ſi in eo officio eſſet.

De Officio Procuratoris Ordinis. *Cap. XIX.*

PRocurator Generalis ordinis deſignata cuĩ obtĩgit Prouincia, ac commorabitur Romæ in Cœnobio Sancti Clemẽtis, vel Pancratij toto vno triẽnio eritq; de familia S. Clementis, neque

neque interueniet electioni Prouincialis, nec diſcreti Conuentus, nec immiſcebit ſe adminiſtrationi, monaſterij, ſed ſolùm audiet, & ius dicet fratribus, qui ſe grauatos conquerentur à Prouincialibus, Viſitatoribus, & Prioribus tunc ſcilicet cum abeſt Generalis à Romana Prouincia. Habebit autem procurator Generalis Ordinis ius ſuffragij ad electiones, quæ fient à Capitulo generali locum tenebit proximum immediatè ſub Generali in ſupplicationibus choro, & vbi ius locorum, proximè autem ad Procuratorem Generalem primum locum tenebunt ij, qui fuere Generales, vti patres Religionis.

Aget cum S.D.N vel Illuſtriſs. Protectore cauſas omnes diligentia quanta maxima, quæ tibi à Patre Generali, vel Prouincialibus imponentur. Sumptus verò, quos ille dabit conuentui Sancti Clementis perſoluent Monaſteria, quę eas cauſas comiſerunt ſingulæ Prouinciæ ſoluent quotannis pro ſubſidio Procuratoris ſcuta decem Conuentui S. Clementis ſi procuratori ordinis opus erit equo, Monaſterium Sancti Clementis ſuppetitabit neceſſaria ſi è vita deceſſerit, quo vis tempore Pater Generalis alium inſtituet cum eodem iure ſuffragij Pro veſtimentis tantundē tribuetur ei quantū Procuratori S. Clementis.

De Officio Prouincialis. *Cap. XX.*

PRouinciales eligentur in Capitulo Generali munus Patris Prouincialis erit vna cum Viſitatore ſingulis annis omnes ſuæ Prouinciæ Conuentus, & fratres opportuno tempore viſitare, excepto eo anno, quo Reuerendiſs. Pater Generalis ſuam viſitationem obierit, qui præfatum Prouincialem adiungere poterit ſibi in viſitatione ſocium ſi videbitur. Apud Prouincialem eſt ius, & poteſtas priuādi Priores Prioratu propter delicta non tamen ſine conſenſu viſitatoris, & Priori eius conuentus, qui caput eſt illius Prouincię eorumq; patrum, qui

fuerunt Generales, ſiue in eá prouincia ex propoſito máneant, ſiue per tranſitum, vel negociorum conficiendorum cauſa forent eò loci, in quo patratum diffamatur delictum, aut proximo illi, nec ante ad eiuſmodi priuationē deueniat, quàm Reuerendiſs. Patrem Generalem, aut coram aut per litteras certiorem fecerit de prætenſis rationibus aduerſus putatum reū, & expectata ab illo reſponſione ſi ſecus fuerit, & monere Generalem neglexerit, aut monere Generalem ſciens, & Prudens anteuerterit, ipſo facto ſit priuatus officio. Poteſtas autem ſubſtituendi alium in locum Prioris Priuati, vel demortui, erit ſolùm penes P. Generalem.

Poterit Prouincialis quibuſuis fratribus ſuæ Prouinciæ pœnitentias iniungere, non tamen in carcerē tradere, aut eos, qui ſunt extra religionem punire, aut ſententiam ferre pœnæ grauioris, aut grauiſſimę abſque conſenſi Viſitatoris Prouinciæ. Nullas pœnas ex iam dictis infliget, & exequetur in eos, qui fuerunt Prouinciales, Viſitatores, Generales, etiam ſi Viſitator Prouincię conſenſum prę̄ſtet, donec P. Generalem commonefecerit, modò ne ſit periculum in mora iacturæ, aut Conuentus, aut Prouinciæ. Pater Prouincialis nullum proceſſum formabit aduerſus aliquem fratrem abſq; Viſitatore, ad quē ſpectat proceſſum per ſe ipſum ſcribere, vel alium aliquem deputare ex fratribus noſtri Ordinis, ſub pœna priuationis officij, qui proceſſus fiant, & ſint veridici. Nemo audeat, ſiue is Viſitator ſit, ſiue proceſſum ſcriptor, ſiue alterius cuiuſuis conditionis frater aperire, & patefacere aliis fratribus in carcerationem, aut contenta in proceſſu, quouis facto. Qui cōtrafecerit pœnas infra in capite de reuelantibus ſecreta Congregationis ſubeat.

Prouincialis in ſua Prouincia, quo ad res ſpirituales tantam auctoritatem habet quantam Reuerendiſs. Pater Generalis in totum ordinem, abſente tamen ab ea Prouincia Generali, ſinat Prouincialis Priorem officio ſuo fungi, & punire ſuos fratres, nec vllo modo præpediat.

De-

Demortuo Prouinciali ſecũdo ſui Prouincialatus anno, ſuccedet in eius locum Viſitator Prouincię demortui, quo tempore ſi viſitandum fuit. Prior Conuentus, qui Caput eſt Prouinciæ erit, Viſitatori in viſitatione ſocius, nec propterea hic Prior hoc perfunctus munere locum habebit, aut vocem in Capitulo Generali, expleto tẽpore Prouincialatus ab eo officio, toto primo ſequenti triennio vacabit Prouincialis, à Prouincialatu, quod etiam intelligendum de Viſitatore veſtimenta Prouinciali tota Prouincia ſubminiſtrabit pro rata.

De officio Viſitatorum. *Cap. XXI.*

VIſitatores Prouinciarũ in Generali Capitulo electi omni cum diligentia, maturitate, & ęquitate commiſſum ſibi viſitandi munus exercere ſtudeant, ac ſollicitè caueant, ne viſitando, quicquàm omittant, quod ab alijs poſtea corrigendum, emendandumq́; ſit. Horum officium præcipuũ erit, omnes conuentus, & fratres ſuæ Prouinciæ opportuno tempore cum Prouincialibus viſitare, Acta omnium viſitationum in libros quoſdam referantur; Proceſſus S. ſiue cœpti, ſiue confecti ſint, ſententiæ ab ipſis, aut Commiſſarijs, alijsq; ſuperioribus contra quoſcumq́ue latę; decretaq; & ordinationes omnes editæ, quę omnia ſub tuta cuſtodia ſeruanda erunt, donec perfecta Viſitatorum adminiſtratione Patri Rectori Generali, vel ſaltem proximo Generali Capitulo integrè fideliterq́ue prębeantur.

Viſitatores autem locum tenebunt proximum, poſt Prouincialẽ; vbi è vita exceſſerit Viſitator cuiuſuis Prouinciæ quouis tempore Pater Generalis inſtituet alium, qui, idem ius ſuffragij habebit, quod demortuus. Veſtimẽta Viſitatoribus ſuppeditabunt Conuentus in quorum familia collocabuntur, in reliquis verò eorum ſubſidijs mos antiquus ſeruetur.

De offi-

PRiori fratres tamquàm Patri cum omni ſubiectione, ſaluis ſemper mandatis ſuperiorum, in omnibus obediant reuerentiamq; & honorem exhibeant ſingularem. Ipſe verò officium ſuum optimè noſcat, & pro viribus etiam prudenter, viriliterq; exequatur circa omnes bonorum operum ſe præbeat exemplum, poteſtateq; nunquàm abutatur ſua, ſed eo magis ſe ab omni licentia cohibeat, quòd in monaſterio nullum habeat à quò poſſit cohiberi.

Eius ſunt Partes ſubditis ſuis ſpiritualia, & temporalia, tàm in ſanitate, quàm in infirmitate piè libenterque miniſtrare, illos ad humilitatem, obedientiam, paupertatem, caſtitatem cęteraſque virtutes frequenter exhortari, & excitare ad horas Canonicas ſtatutis temporibus Domino Deo in Choro recitãdas omnes cogere, & impellere, quibus ipſe ſemper intererit, niſi ſit communi negotio detentus, easq; diſtinctè dici religioſeq; cantari iubeat fratres in vinculo pacis, & Charitatis inter ſe conuinctos conſeruet, & ad labores ordinis perferendos animet. Vtilitatem prætereà Conuentus, & amplificationem ita quærat vt in fabrica Eccleſiæ domuſq; commoditatibus additis, charitas illius, & prudentia omnibus appareat.

Bona Conuentui data, ſeu eleemoſynas Prior quo ad eius fieri poſſit non recipiat, quæ ſi receperit nullo tamen modo apud ſe teneat, ſed omnia ſtatim, vel in depoſito integrè deponat, vel depoſitario tradat. Porrò ſicut recipere Prior pecunias non poteſt, ita nec expendere illas debet, ſed tantum eius iuſſu Procurator Debitum nullum contrahat, niſi ſit parui momenti, nec expẽſas extraordinarias magnas faciat, ſine patrum vocalium ſui conuentus conſenſui. Inuentarium bonorum mobilium Eccleſiæ, nec non immobilium, & iurium quorumcumque ad Conuentum pertinentium conficiat ex eoque au-

thenticum exemplum deſcribetur,& alterum quidem in proprio monaſterio obſeruetur,alterum verò in archiuio nobilioris monaſterij eius Prouinciæ reponatur. In omni monaſterio locus tutus cum armarijs, ſeu capſis habeatur, in quibus ſcripturæ, priuilegia, contractus, omniaq́; iura Monaſterij ſint reposita: item res Eccleſiæ precioſiores, cum ſuo authentico inuentario in loco decenti cuſtodiantur. Quæ verò quotidiano ſunt vſui neceſſaria à Sacriſta ita habeãtur, vt res ſacrę à prophanis diſtinguantur. Arcæ rerum pretioſarum, tres ſint claues, quarum vnãm Prior, alteram frater vnus à Conuentuali Capitulo, deputatus, tertiam procurator Monaſterij habeat. Si quis ſe à Priore offenſum conqueritur, poſſit ad ſuperiorem, & Primum ad Prouincialem, deinde ad Generalem per litteras, vel etiam ad Capitulum Generalem recurrere. Interim tamen in cauſis correctionis & alijs, quæ à iure vel ex Concilio Tridentino, aut ex Conſtitutionibus reis præſcripta ſunt, nullo modo ab executione ſuperſedeatur. Prior verò ſub pœna graui ad arbitrium ſuperioris, vel ipſemet mittat tutò litteras illas, vel faciat eis poteſtatem mittendi via quacumq; maluerit. Priores in Capitulo Generali electi in ſuis monaſterijs infra octo dies, Vicarium, Sacriſtam, Procuratorem, Cellarium, & alios officiales Conuentus inſtituant, onerata ſuper hoc ipſorum conſcientia. Prioribus ex præſentia Prouincialis non adimitur poteſtas gubernandi ſuos conuentus, & fratres ſibi ſubditos puniendi neminem tamen in carcerem conijciant inſcio Prouinciali (ſi in ipſo Monaſterio aderit) niſi eiuſmodi foret, qui participari cum Prouinciali non queat, tunc enim ſatis erit rem totam communicare Capitulo Conuentuali.

De Vicario loci reſidentiæ. *Cap. XXIII.*

NVllus impoſterum conuentus appellabitur Prioratus in quò ad minus, & ſemper toto vno triennio quatuor fratres de-

tres degant cõnumerato etiam in hos Priore, in quo verò pauciores, quam quatuor nominabitur Vicariatus, & qui ei præerit Vicarius. Hic deinceps ius ſuffragij, nequaquam habebit, niſi fortè Conuentus ille membrum foret alicuius Prioratus; Tunc enim votum obtinebit ad acta Conuentus, cuius eſt mébrum, & ad electionem diſcreti eiuſdem Conuentus eligique poterit in diſcretum, cum voce, tàm actiua, quàm paſſiua in Capitulo Generali.

De officio Vicarij Conuentus. Cap. XXIIII.

QVilibet Conuẽtus Congregationis in quò ſeptem fratres de familia fuerint, habeat Vicarium idoneum ad gubernandum Conuentum, qui Priorem omni cum fidelitate adiuuet. Ad cuius officium pertinebit omnibus horis, tàm diurnis, quàm nocturnis Choro intereſſe, à communi menſa nunquàm abeſſe, & omnibus alijs obedientijs primum omnium adeſſe, vt ſi Prior aliquibus negotijs occupatus præſens eſſe non poterit, ipſe eius vicem gerat, cui ſicut Priori eo tempore ab omnibus obediatur. Vbi verò ad proceſſiones, vel ad funera Conuentus conuocatus erit in eundo, & redeundo curam omnem, & omnia ordine fiant, ipſe ſuſtinebit. Ad eius etiam officium ſpectat loca Conuentus viuere ſolliciteq; curare, nè ſilentium à quo quam locis, & horis deditis frangatur. Culpas leues, & ordinarias, maximè in iuuenibus, cum abeſt Prior, reprehendat, & corrigat. De grauioribus autem Priorem certiorem faciat. Cum Prior ad loca remotiora proficiſcitur, poterit Vicarius in omnibus eius vicem in genere, niſi Prior aliquid ſpatiatim illi interdixerit contra cuius voluntatem, & præceptum nihil facere audeat. Curet in abſentia Prioris Cõuentu in bono ſtatu cõſeruare nihil inſcio Priore immutare, vt aliquid maiores momenti aggredi, niſi fortaſſe maxima neceſſitas, vel euidens vtilitas ſecus expoſtulet.

Tempore

Tempore Capituli, Vicarius, à Conuentu non diſcedat, niſi ſit diſcretus; quo caſu alium Prior relinquat, qui vicem ſuam gerat, & non abſcedat quouſque ipſe, vel Prior alius reddiderit in Refectorio lectiones Latino, vel vulgari ſermone ſecundum feſta, & materias occurrentes, hora debita prandij, & cœnæ à iunioribus habendas curet ab omnibus illi obediatur. Prioris honore ſeruato, ne in illo Deus offendatur; Quod ſi quis diabolico inflatus ſpiritu contra eum verba contumelioſa, vel actus irriſorios ediderit, vel ſe nolle obedire dixerit, vel ei minabitur, vel aliud in eius contemptum, vt exeundum ſepta monaſterij, vel aliquid tale admittere auſus fuerit ſtatim priuatus ſit officio, ſi quod habet, loco, & voce per triennium, ſitq́ue nihilominus in arbitrio Prioris; Seu quādiu velit ieiunijs, diſciplinis pro grauitate criminis etiam plectere, & punire. Sit tamen in arbitrio Patris Rectoris Generalis, ſeu Prouincialis vocem, & locum illi reſtituere.

De Officio Sacriſtæ Conuentus. *Cap. XXV.*

EIuſmodi frater in Sacriſtam Conuentus eligatur, qui ſit fidelis grauis, prudens, ac impiger, atq́ue ad res Eccleſiæ, & altarium ſolicitè ſanctéq; tractandas inclinatus, qui ſacerdotum confeſſiones audire poſſit, neque ad conſilia Conuentus ſit ineptus. Hic ante omnia diligentiſſimam cum omni reuerentia curam habeat Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quod omninò octauo, quoq; die reuiſat, & ſi opus fuerit remouet, & clauſam intra mundiſſimam cuſtodiam reponet ita vt nulli liberum ſit locum Sanctiſſimi Sacramēti aperire ipſo excepto, cui ſacra commiſſa ſunt Clauem Cuſtodię ſub alia claue incluſam ſemper teneat; Plures Hoſtias cōſecratas in cuſtodia ſeruet, ne ſi quempiam communicari contingat Eccleſia, ſine ſacramento remaneat, diligenter quoq; attendat Sacriſta, vt

ante Chriſti Corporis ſalutiferum ſacramentum die noctúq; lumen ſemper ardeat, ne cum extinguatur. Habeat inſuper in aliquo vaſe argenteo, vel ſaltem ornato,& decenti oleum ſanctum pro infirmis noſtris, quod ſuo ſemper tempore renouabit. Curam adhibeat, vt ſanctorum reliquię cum honore, & debita reuerentia aſſeruentur. In Sacriſtia Miſſarum tempore ab omnibus ſilentium ſeruari iubeat. Eccleſiam, Sacriſtiamq; ſępe verrat, ab imaginibus, altaribusque frequenter puluerem excutiat. Res Sacriſtiæ cuiuſcumque generis ſint, nulla ęx cauſa alienentur, nec mutuo, nec pignori dentur, niſi de conſenſu Patris Generalis expreſſo. Munda, ornata, & elegantia omnia ſint, quæ ad Diuinum Cultum pertinent. Præſertim autem paramenta, tobaleę, corporalia, purificatoria, vaſa, & alia, quę in Miſſę ſacrificio vſui ſunt; Sacriſtarum in hac re negligentiam Priores, Priorum verò in diligentiam Prouincialis, vel Pater Generalis grauiter corrigat; Miſſæ, Matutinum, & alia Canonicarum horarum officia, proceſſiones item, & anniuerſaria ſuo tempore attentè, & cum cantu diebus quibus conuenit celebrentur. Nec cum foras ad funera, vel ad Miſſarum ſolennia in alijs Eccleſijs celebranda itur ob eam cauſam in aliquo Monaſterio recitatio totius, vel alicuius partis Diuinorum officiorum in Choro omittatur. Poterit tamen hora aliqua ante tempus, vel etiam poſt dici, ſi Priori ita videbitur neceſſitate cogente. In omnibus Eccleſijs integrè annualium, & legatorum obligationibus ſatisfiat. Quod ſi eueniat minui aliquod onus à Generali ex facultate ſibi à Concilio Tridentino data, de eo in tabella obligationum mentio fiat, vt commemoratio ab eodem Concilio præſcripta numquam prætermittatur Officium Beatæ Mariæ Virginis in Choro dicatur illis diebus, quibus conſueuit in noſtra congregatione, ſcilicet in Quadrageſima, & Aduentu.

De officio Procuratoris Conuentus. *Cap.* XXVI.

OFficium Procuratoris præcipuum eſt neceſſitatibus Couentus prouidere coquinæ præeſſe, ac ordinare de pitantijs,& ferculis in prandio,& cœna,tàm tempore ieiuniorum, quàm nomine iuniorum. Studeat aut horis à Priore ſtatutis omnia parata ſint; quamuis fratres pauci, tunc temporis domi eſſent. Curet vt fratrum portiones omnes ſint ęquales, nec ſinat in menſa fratribus peculiare ferculum dari ſine Prioris licentia, laborantibus, & antiquis infirmis exceptis. Procurator videat, ne vtenſilia neceſſaria deſint fracta, vt reſtaurentur, omniaque locis ſuis diſtinctè,& mundè collocētur.Comparet illa, quibus fratres indigent,iuſſu tamen Prioris qui ſecundum Conuentus poſſibilitatem ſingulis de omnibus prouidebit. Meminerit inſuper vinearũ, hortorum, clauſurę, vt omnia vtiliter commodeq; curentur. Aderit in foro litium cauſa cum Procuratore, vel Notario Conuentus ſolliciteq́, aduertet, ne per eius negligentiam Conuentus cauſa cadat iuraq́; monaſterij pereant, aut graue aliquod damnum noſtri conſequantur. Procurator item librum habeat, in quo Monaſterij ſoliti reditus, cenſus, prouentuſque omnes deſcribantur. Alterum etiam, in quo quotidianas eleemoſynas, & expenſas diſtinctè locoque ſuo conſcribat.

De officio Cellarij. *Cap.* XXVII.

CEllarij officium eſt, panem, vinum, aliaq́; comeſtibilia ſeruare,& indigentibus ſecundum regulam,& conſtitutiones,ac Prioris præceptum opportunè diſtribuere. Quod ſi quid neceſſarium deſit,aut ſuperſit Procuratori Conuentus ſtatim ſignificabit, munerea ſi quæ fratribus dantur, aut conuerſis, vel donatis, ſine mora Cellario tradantur, qui

fratribus, vt neceſſitas exiget illa partietur; qui aliter feciſſe deprehenſus fuerit, vel conuictus, quia rem communem ſibi propriam facere curauit, furti iudicio, vt eſt in regula, cōdemnetur, ac pro errati grauitate puniatur.

De quibuſdam Congregationis noſtræ obſeruantijs. De voto paupertatis ſeruando, à fratribus. Cap. XXVIII.

QVoniam per ſolennem profeſſionem fratres noſtri omnibus, ac ſingulis bonis, iuribus, & actionibus ad eos tūc, vel impoſterum, quouis modo, & titulo pertinentibus non modò quantum ad proprietatem, ſed etiam quantum ad omnem, & plenum eorum vſum, & vſumfructū, nihil omninò ſibi quouis pacto reſeruantes, efficaciter, & cum effectum cedunt, & renunciant, atq; ita vt ne verbo quidem aliquid proprium, & ſuum, ſed noſtrum deinceps ſemper dicant, & dicere debeant. Strictè præcipimus, vt nullus eorum ſicut canis, qui ad vomitum reddit per ſe, vel per interpoſitam perſonam habeat priuatum dominium, vſum, vel vſumfructum agrorum, domorum, pecuniarum, reddituum, vel quorumcumq; bonorum immobilium, mobilium, aut ſe mouētium, ſed omnia quantacumque, & qualiacumque, & quomodocumq; acquiſita habuerint, vel eis à quouis donata fuerint, in manum, & meram, ac liberam ſui Prælati poteſtatem tradere teneantur nihil pęnitus ſibi retinentes. Quare quicquid fratribus in eleemoſynam datur promiſſis, aut orationibus, prædicationibus, confeſſionibus, & lectionibus, aut pro qualibet arte, vel artificio, induſtria, vel labore in rem communem conferatur, & cui neceſſe fuerit, præbeatur, ita vt nemo iuxta B. Auguſtini regulam ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera noſtra in vnum fiant. Æquum tamen erit, vt eorum præcipua

habeatur

habeatur à ſuperioribus ratio, quorum cauſa bona illa ad monaſterium peruenerunt, vt eis videlicet ex illis bonis pro loco, & tempore aliquanto copioſius, & commodius pro ſuis neceſſitatibus cõcedantur. Ad hanc autem communitatem integrè in omnibus, & per omnia ſeruandam, ipſi etiam locorum ſuperiores teneantur. Cęterũ m præcipimus in virtute ſancti ſpiritus, ac ſalutaris obedientię, vt ſi quæ pecuniæ alicui fratri etiã intuitu perſonæ priuatæ ab aliquo donatæ fuerint, eas ille quicumq; ſit infra 24. horarum ſpatium à receptione earum, vel à reuerſione ſua in Conuẽtum ſuperiori fideliter exhibeat. Prior verò illas in depoſito pro communi vtilitate reponat. Idem faciat de pecunijs in eleemoſynam intuitu particularis perſonæ alicui datis ſtatuimus inſuper, vt nullus frater noſtræ Congregationis, ſiue Prior, ſiue ſubditus ſit cuiuſcumq; ſit gradus, vel dignitatis, audeat quouis modo extra ordinem, veſtes, libros, ſiue aliquid aliud ſibi ad vſum cõceſſum, exportare, mittere, aut tenere, niſi de Prioris expreſſa licentia, ſi ſubditus fuerit; ſi verò fuerit Prior de ſcitu, & conſenſu Patrum Capituli, quod cum fiet lucidum earum omnium rerum inuentarium in depoſitum dimittet.

De cura habenda circa infirmos. *Cap. XXIX.*

VT autem Ægrotis mentis pax maior ſit, & corporis valetudo velocior ſtatuimus, vt ſi facultas adfuerit, locus commodus in quolibet monaſterio pro curandis infirmis habeatur. Vnuſq; aliquis in anni principio ſicut Priori videbitur Infirmarius conſtituatur, qui ſit pius, clemens, prouidus, ac hilaris; Cuius erit officium infirmorũ curam, & hoſpitum fratrum gerere, cui ſi ſolus non poſſit ſocius, vel ſocij à Priore adiungentur. Curabit, vt medicinæ eaque omnia quæ Medicus iuſſerit, aut Prior tempore, & loco nõ deſint ſeruitiaque con-

que continua tametſi ſpem vilia, & ſtomachoſa infirmis libenter, ac ſine murmure præſtet eosq; frequenter pijs aliquibus exemplis ad patientiam & ſuorum peccatorum verã pœnitentiam hortetur. Vbi primùm, quis ex infirmitate in lecto decũbit, etiam ſi ęgrotatio periculoſa non videatur, ſua peccata cõfiteàtur, tum communicet, ac in Deo omnem ſpem ſuam defigat. Quamobrem in quolibet Conuentu Congregationis, ſi fieri poſſit, locus infirmorum Capellam habeat, vt infirmi ſingulis diebus Miſſam audiant, & cum opus erit, ibi etiam Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſumat. Nemini ex ordine noſtro licitum erit medicinæ artem exercere, niſi fortè aliquando caſus ferat, vt periculum alicui immineat mortis, & Medicus haberi non poterit, tunc enim medicamenta non vehementia, & periculoſa, ſed lenia, & tuta ex charitate ſi doctrinã eam rectè ſciat adhibere poterit. Caueat autem nè munus hoc medendi exerceat, aut incidat, vel dubia adhibeat medicamenta ſub pęna excommunicationis, & irregularitatis. Fratres non pernoctent extra monaſteria, niſi in infirmitatis cauſa, & non niſi facultate habita à Rectore Generali, vel Prouinciali.

De hoſpitibus quomodo excipiendi tractandique ſint. Cap. XXX.

QVia hoſpitalitas, vt eſt in ſcripturis, tantopere Deo placet, propterea ſancimus, vt Priores, ſeu locorum Vicarij, & ſuperiores fratres noſtros vndecumq; veniãt cum charitate, & fraternè ſuſcipiant, eisq; ſecundum eorum neceſſitatem longi, vel breuioris itineris habita ratione curent à foraſterio, & alijs deſeruiri. Hoſpitibus non liceat etiamſi Priores ſint ſine Prælati ſui licẽtia, apud quem diuerſantur ſepta monaſterij exire, vel alia facere, quæ fratres loci ſine licentia facere non poſſunt. Nihil emant, niſi ſtatim pretium ſoluant,

uant, nec mutuò aliquid dent, vel accipiant abſq; Prioris, vel Vicarij loci licentia, ſub pœna proprietarij conſtituta. Fratres aliorum ordinum,& ſęculares ſi ad hoſpitium introducantur, vltra tamen tres dies non retineantur,niſi fortè tales eſſent perſonæ, quibus dimittendis ſcandalum, aut damnum Conuentui crearetur: in quibus tractandis memores ſint Cõſtitutionis S. D. N. Clementis Papæ VIII. fiat tamen Capitulum ſemper num retinendi ſint vltra tres dies, an dimittendi.

Fratres noſtri iter nullum aggrediantur abſque litteris ſui Prioris,quibus tempus profectionis itineris, ac reuerſionis eorum explicetur;easq; cum redierint,Priori ſuo ſtatim reddant; Qui ſecus fecerint pœnam grauioris culpæ incurrat à Prioreq; loci ieiunijs, & diſciplinis puniatur. Qui ſine hiſce litteris ad Conuentum aliquem acceſſerit,ſtatim in vincula conijciatur, vnde non extrahetur,donec Prior loci à Priore illius litteras de hac re acceperit. Prior verò, qui huius conſtitutionis negligẽs fuerit,& fugitiuos in carcerem non truſerit,pœnæ priuationis officij vocis,lociq; in Choro,Capitulo,& Refectorio ad annũ ſubiacebit, vltimuſq; inter ſacerdotes erit fratres ex obedientia extra Ciuitatem propter Conuentus,vel Ordinis negotia tranſigenda miſſi,ſi intra terminum ſibi aſſignatum non redierint ac per eorum negligentiam, & malitiam, non ex cauſa rationabili ſteterint,pœnam grauioris culpæ ſuſtineãt. Fratres item ſocios ibi à Priore deſignatos in itinere non deſerant, neque alios ſibi adiungant,niſi ex neceſſaria cauſa, neq; per Ciuitatẽ, niſi ſociati incedant: & qui ſolus deprehenſus fuerit,grauiter puniatur: Nec comedant fratres, vel bibant in Ciuitate cum laicis,maximè verò mulieribus,niſi patres,vel matres, vel fratres, & ſorores, vel valdè propinqui ſint, neq; hoc vllo modo abſque Prioris licentia, quam frequenter eidem ne concedat.

Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis fratribus ordinis noſtri cuiuſcumque Conditionis, vel

dignitatis

dignitatis ſint, vt nemo alicuius Domini Principis, vel Communitatis legationem ſuſcipiat in cauſis ſuſpectis, odioſis, & periculoſis ſub pœna priuationis officij, ſi quod habent, vocis, & loci, ac etiam carceris ſecundum delicti qualitatem, & Patris rectoris Generalis voluntatem.

De vſu ciborum, et ieiunio fratrum. Cap. XXXI.

SExta feria perpetuò ieiunetur, exceptis feſtis Natiuitatis Domini ſanctorum Barnabæ, & Ambroſij, ac Patroni alicuius Monaſterij ſi in ea die venerint, & ferijs ſextis à Paſchate Reſurrectionis vſque ad Pentecoſtem.

Nullo verò modo ieiunia ab Eccleſia præcepta à quoquam prætermittantur, neque Quadrageſimæ, & Aduentus ieiunia omittantur. Infirmi ſecundum Medici Conſilium ad ieiunia non cogentur fratribus quando carnes comedunt minor in cœna portio detur, quàm in prandio; quàm fratres ſine murmure, & cum benedictione Domini recipiant; eoq; ſint contenti, quod Prior dandum eſſe conuentui cenſuerit. Qui contrafecerit grauiſſime puniatur.

De locis, & temporibus ſilentij. Cap. XXXII.

CVm à Patre S. Auguſtino tradatur in regula ne aliquid in Oratorio, quod eſt Eccleſia, fiat niſi id, ad quod factũ eſt, vnde, & nomen accepit propterea præcipimus, vt in Eccleſijs Congregationis noſtræ nihil fiat, quod ad orationem, & Dei cultum non pertineat; ibi ſilentium ſemper ſeruetur; nulla altior vox, nullus genitus, nulla ſuſpiria, nullus laborum motus, nulla filiorum reuolutio, niſi quantum neceſſitas officij exigat, ibi audiatur: nemo ſtrepitu pedum, vel manuũ, vel naſi, vel oris, vel tuſiendo, vel ſternutando clamore pſal-

lentibus, & cantantibus impedimentum afferat, aut moleſtiá.

Item fratrum oculi demiſſi ſint, & huc illucq́ue non circumuagetur.

Nullus ante alterius pedes in Choro ſpuat, ſed manibus ante os poſitis modeſtè ſe expurget, nè moleſtiæ ſit fratribus, aut ſtomacho. Fratres ſilentium teneant in Oratorio, ſiue in Eccleſia in Refectorio, in Dormitorio, in Cellis excepta illa, quæ Prioris eſt ad quam omnes pro ſuis neceſſitatibus exponendis conuenire poterunt: ſimiliter extra Refectorium fratres comedentes ſilentium ſeruent; poterit tamẽ Prior, ſi ei videbitur cum aliquibus diſpenſare, vt ſi religioſi, vel ſęculares in Conuentu comedant, verba ędificationis, & neceſſaria in miniſtrando, cum eis loquãtur. Silentium etiam teneant fratres omnes ab vno Aue Maria, vſq; ad aliud, quàm legem conuerſi, & oblati etiam ſeruabunt.

Primò enim mane ad Eccleſiam accedant, ibiq́; primum Miſſam deuotè audiant, tum officium ſuum dicant. Poſt verò opera, & exercitia ſua aggrediantur. Clerici quoq; ſilentium teneant, quo ad Miſſam cantauerint: inter ea, quæ fuerint neceſſaria ad Miſſarum præparationem in Sacriſtia, vel Officij alibi ſummo cum ſilentio nutu tantum, & ſigno peragant. Abſint omninò à fratribus noſtris vaniloquium, ſcurrilitas, turpia verba, & obſcęna, atq; genus omne blaſphemię, & iuramenti, quod ſi quis ſui oblitus vnquàm dixerit per Deum, per Virginem, per Sanctos, per fidem Chriſti, per Corpus Chriſti, aut alia huiuſmodi iuramenta, à Priore grauiter puniatur. In Capitulo nullus verbum faciat, niſi vel culpas ſuas accuſando, vel Priori humiliter reſpondẽdo, facultate loquendi antea à Priore ſemper petita. Extrà monaſterium fratres non exeant abſque ſuperioris licentia, atque bini ſaltem ſint benedictionemq́; flexis genibus, aperto capite à Priore euntes, & redeuntes petant. Cum mulieribus neuter illorum loquatur, niſi vr-

gente neceſſitate, quod faciat breuibus, & ſocio ſemper præſente: Minor frater ſtet in ſocij maioris fratris obediētia, quādiù foris ſunt. Nullus frater, parentum, amicorum, ac beneuolorum domos adeat, nec eos in cōuentu aloquatur abſq; Prioris petita licentia, & obtenta Dormitionis, aut lectionum, & comeſtionis tempore tumultus nulli fiant, ſtrepitus nulli, qui aliter quàm hiſce Conſtitutionibus noſtris cautum eſt, fecerit à Priore pro grauitate culpæ corrigatur.

De lectione menſæ, & alijs quibuſdam obſeruantijs. Cap. XXXIII.

LEctio ea, quę à Priore aſſignata fuerit continuè ea legatur voce, vt à fratribus omnibus in Refectorio exiſtētibus, clarè poſſit, & intelligibiliter audiri; Silentiumq; vt ſpe dictum eſt omni ex parte ibi ſeruetur, & neceſſaria ſignis tantum, & nutibus petantur. Nulli forenſi refectionis tempore aditus in Refectorium ſine Prioris licentia pateat. Poſt menſam ad Eccleſiam bini fratres procedant, aut ad aliquem locū decentem Deo gratias agentes. Nullus frater alterius fratris cellam abſque Prioris, vel Vicarij licentia ingrediatur Priore excepto Nullus item Religioſos, ſiue Seculares in cellam ſuam introducat, ſiue in alienam: in cellis, vt iam ſupradictum eſt ſilentium perpetuum, tàm à Conuerſis, & oblatis, quàm à Sacerdotibus, & Clericis obſeruetur. Claues cellarum, arcarum, & armariorum eiuſmodi ſint, vt ſi Prior alicuius cellam ingredi, & quid in arca, ſiue armario conditum ſit, videre voluerit, ſtatim, & facilè poſſit.

De ordine in Refectorio maximè ſeruando. *Cap.* XXXIIII.

NOna in Choro finita cum ieiunamus, ſexta verò ætate cum non ieiunamus, ſecundoq; prandij ſigno ſonato ſedeant omnes cum ſilentio extat Refectorium expectantes tertium ſignum; interim lectionem ex aliquo vtili libro Prior à iunioribus curabit recitari, ſi nolit ipſe aliquem fratrem corrigere, & punire aut ad Conuentum verbum aliqđ habere, quod tamen non multa mora faciet. Pulſato tertio ſigno in Refectorio ordinatè, nouiſſimis incipiendo ingrediatur vbi capite aperto, & ad imaginem inclinato ad loca ſua accedant quibus ibi profeſſionum, ordine ſeruato ſtantibus Hebdomadarius benedictionem menſæ incipiat, cęteri proſequantur, vt eſt in Breuiario notatum: Benedictione completa menſam adeant, tandiuq; expectent donec, & Prior ſignum comedendi faciat, lectionem lector incipiat: quo facto ipſi cũ benedictione Domini ita comedant, vt ne fauces ſolæ, vt in regula habetur, cibum mandant, aures etiam verbum Dei eſuriant. Cõtenti ſint fratres cibis appoſitis nihil amplius, aut lautius appetentes. Miniſtri à Menſa non recedant, donec gratiarum actiones factæ non ſint: eorum erit pitantias ad menſam ferrè; ſi quid deſit afferre reficientium imperata facere, quæ ſuperſint auferre aliaq; huiuſmodi mundè, & impigrè exequi; Hi, ſi vas aliquod fregerint, aut effunderint, aut in re alia deliquerint, culpam ſuam genuflexi ante ſuperiorem agnoſcant, & veniam petant, quibus Prior pœnitentiam, quę ſibi videbitur, imponat.

Nulla pitantia, quæcumq; illa ſit, in Conuentu comedatur, quæ omnibus communiter non diſtribuatur, ſub pœna grauioris culpæ, infirmis exceptis, & hoſpitibus. Quicquid pitantiæ Conuentui dandum erit, ſtatim in menſa apponatur, nè

nounrum ciborum expectatio fratrum mētem à lectione deflectat: lectio autem prima vſq; ad mediam refectionem Latina ſit ex Biblia, vel Sanctorum vitis, aut alio fructifero, & authentico libro: Secunda iterum ex aliquo item pio libro, vulgari tamen ſermone propter illiteratos, vt & ipſi Diuino cibo ſaturentur, quæ à media refectione vſq; ad finem, quoad Prior dicat: Tu autem, continuabitur. Ad ſecundam menſam in qua lectores menſę, & ſeruitores comedent, nulli cibi deferantur, qui non fuerint, & in prima, nec tamen ij, qui iam comederint in Refectorium intrent, ſuperioribus, & iuuenum magiſtris exceptis, quibus præſentibus ſubmiſſius modeſtius, ac citius illi ſine dubio comedent. Tertia verò mēſa nullo modo, niſi propter hoſpites ſerò aduenientes in Conuentibus noſtris fiat.

Poſt gratiarum actiones Conuerſi, & oblati ad exercitia ſua reuertantur. Clerici iuxta Prioris præceptum in Choro, vel in Capitulo diſcant canere, vel monaſterium verrant, vel vſq; ad Veſperas opus aliquod publicum, & neceſſarium faciant.

Sacerdotes etiam legant, vel orent, vel opus aliquod commune curent, vel deniq; iuniores, & imperitiores doceant, nūquàm verò otioſi ſint. Hæc autem omnia ea conditione à fratribus facienda ſunt, vt nemo abſque Prioris licentia, aliquid aggredi quicquid ſit in cella, vel etiam extrà audeat ſub pęna grauioris culpę.

De clauſura Conuentuum noſtrorum. Cap. XXXV.

OMnia & ſingula Congregationis noſtræ monaſteria inquibus etiam exigua eſt fratrum familia, clauſa ſint ſemper à quorum oſtio Portinarius longius non abſcedat, vt cum opus fuerit pulſantibus ſtatim ſatisfiat.

Nemi-

Neminem ad interiora monaſterij introducat niſi à ſuperiore prius habita licentia; ſi quis vocetur, ille ſine mora monendus, vt vel ipſe ad eum vadat, vel quid illi reſpondendum ſit dicat: Oſtium habeant noſtra monaſteria vnum, quo foras prodeatur, vel ad ſummum duo, alterum quidem maius pro vehiculis cuius claues apud Priorem erunt, alterum minus pro vſu fratrum quotidiano, cuius claues die Portinarius nocte verò Prior apud ſe ſemper habeat; oſtiolum etiam habeat per quod è monaſterio in Eccleſia officium cauſa ingreſſus ſit. Poterunt etiam aliud habere, quo ab Eccleſia in Sacriſtiam eatur. Viridarij verò oſtia, & ſiq; ſint aditus alij quibus fratres monaſterij ſepta exire poſſint muro omninò, & quamprimum obſtruantur, niſi loci neceſſitas aliter poſtulet; nemo audeat, ſiue Prior, ſiue ſubditus ſit cuiuſcumq; gradus, & conditionis ſub pœna priuationis officij, vocis, & loci, ac etiam carceris, mulierem quamcumq; in monaſteria, ſiue monaſterium aliquod introducere iuxta S. D. N. in Bulla ſua præceptum, neq; ſub eadem pœna apud mulierem etiam non ſuſpectam diuerſari, aut pernoctare præſumat; Hortamur verò omnes, & in Domino monemus, vt familiaritatem ſęcularium perſonarũ à relictioſis moribus alienam omninò vitent.

Nullo modo ſęculares in monaſterio pernoctare, niſi ex neceſſitate permittant, quibus Prior aliquem diligat, probum, & prudentem virum, qui deſeruiat, & aſſiſtat.

De modo, quo habere ſe debent fratres cum extra monaſterium exire contingat. Cap. XXXVI.

PRæſenti Conſtitutione ſtatuimus, & cauemus, ne frater, quiuis Congregationis noſtræ, ſiue Conuentualis ſit, ſiue hoſpes quocumque gradu, vel dignitate ſit per Vrbe, vel op-

vel oppida abſq; ſocio, clerico, conuerſo, vel laico ſibi à Priore aſſignando progrediatur, niſi ex grauis, & neceſſaria cauſa cognoſcenda, & approbanda à Priore. Conuerſi tamē maximè ſi non ſint valdè iuuenes, & oblati pro neceſſitatibus ſoli mitti poterunt: nullus tamen frater extra ſepta monaſterij abſque Prioris licentia, & benedictione ineundo, & redeundo exeat.

Licentiam autem Prior foras eundi non ita frequenter, nec facilè concedat; Fratrum enim diſcurſus per Vrbes, & oppida, tantum abeſt, vt ſecularium animos nobis concilient, vt etiam illos hac via à nobis maximè abalienēt. Fratres verò ad eo honeſtè, & compoſitè incedant, vt in inceſſu, vt præcipit D. Auguſtinus, habitum, & in eorum motibus nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod ipſorum deceat ſanctitatem. Frater, qui die vel noctè ſine habitu monaſterium exierit, aut etiam cum habitu ſine ſuperioris licentia pernoctauerit, grauiſſimè, vt alij ex ipſo exemplum ſumant, puniatur. Nemini deinceps illis exceptis, quibus de iure negari non poteſt, licentia detur extra ordinem commorandi etiam cum habitu quocumq; prætextu, niſi generale Capitulum facultatem concedat Apoſtatæ ab ordine noſtro auctoritate tantum Capituli Generalis recipiantur, ac tum locum vltimum teneant, habeanturq; proinde, ac ſi tunc Religionem ingreſſi eſſent.

De culpis, & quæ obligent ad peccatum mortale. Cap. XXXVII.

HÆc ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus, ait D. Pater Auguſtinus in regula noſtra. Quibus verbis nemo putare debet, Doctorem prudentiſſimum, etiam humanæ infirmitatis conſcium omnia, quæ ſunt in regula ab eo conſcripta, & ab innumerabili ferè religioſorum multitudine recepta voluiſſe vim habere formalis præcepti, omniaque ad

mortale peccatum obligare. Cui nam in Choro horis recitandis illud ſemper poteſt verſari in corde, quod profertur in ore? cum tamen id ab illo in regula percipiatur, vel potius moneatur. Quid illa? Carnem veſtram domate ieiunijs, quantum valetudo permittit. Quicumq́; corporis ſui vires ita nouit vt valetudinis ſuæ terminum ſciret? liquet ergò non omnia à S. Patre noſtro Auguſtino ſub præcepto in regula mandari. Vt autem fratrum conſcientijs conſulamus, declaramus præſenti Conſtitutione illa tantum ad peccatum mortale obligare, quæ ad tria eſſentialia religionum vota pertinent, quæ contemptũ continent, quę à Conſtitutionibus, vel à ſuperioribus in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipiuntur. Cætera tantum ad pœnam temporalem obligare declaramus.

De pœnis, quæ leuis ſit, quæ media, quæ grauis, quæ grauior, quæ grauiſſima. Cap. XXXVIII.

Leuis culpa eſt, ſi quis legendo, aut cantando errauerit, neque tamen coram omnibus terram manu tetigerit pectusq́; percuſſerit. Item ſi veſtes ſacras in Sacriſtia, vel libros in Choro opportunè non præparauerit, ſuoq́; loco nõ repoſuerit, aut non rectè complicauerit pro his, & ſimilibus veniã petenti, oratio aliqua, vel Pſalmus à Priore iniungatur.

Media culpa eſt, ſi quis horis recitandis in Choro immoderatè ſe geſſerit. Si quis aliud canere, aut legere velit, quàm qđ communis vſus approbat, ſi quis turpiloquium, vel vaniloquium effuderit. Si quis cõtra Conſtitutiones patrumq́; ordinationes latrauerit. Si quis in cellam ſuam abſq; Prioris licentia aliquem ſęcularem, vel regularem duxerit, veniam petenti de his, & conſimilibus diſciplina imponatur cũ Pſalmis, quot Priori viſum fuerit nõ petenti autem, vel ab alijs accuſato duplex diſciplina iniungatur.

Grauis culpa eſt, ſi quis coram, ſęcularibus cum altero durius contenderit, ſi frater cum fratre lites geſſerit, ſi quis fratri ſuo pro offenſis veniam petenti non pepercerit, ſi quis indumentum, vel aliud quid piam ſibi cõceſſum, alteri fratri inſcio Priore dederit, ſi quis contra conſtitutiones cum mulieribus loquutus fuerit, ſi quis ſilẽtium horis, & locis prohibitis fregerit, ſi quis ſuam, vel alienam culpam contumax defenderit, ſi quis ieiunia Eccleſiæ, & ordinis non ſeruauerit, ſi quis cellam ſuam abſque Prioris, vel Vicarij licentia alteri conceſſerit, vel aliam acceperit. Pro his, & ſimilibus veniam petens ter in terra, in medio Refectorij pane, & aqua ieiunet, neq; pro eo fratres rogent. Peccatum ſuum non agnoſcenti, veniamq́; non petenti duplex iniungatur pœna.

Grauior culpa eſt ſi quis contumax, & inobediens publicè aduerſus Priorem ſuum fuerit, contumeliamq́ue ei aliquam fecerit, eiuſvè pręceptum ſeruare noluerit: ſi quis officium poteſtatemq́; Prioris ſui ſibi arrogauerit: ſi quis ſine licentia ſepta monaſterij longius exierit, vel aliquò perrexerit: ſi quis ſuſurro, mendax, vel ebrius fuerit. Pro his & ſimilibus delictis qui peccatum ſuum ſpontè confeſſus fuerit, primum in cellã ſuam mittatur, ibiq́; ſilenter maneat vſq; ad horam comedẽdi, vbi verò refectionis tempus aduenerit vocatus Refectoriũ ingrediatur, ſedeatq́; in terra nuda, pane tantum, & aqua abſq; diſpenſatione ieiunet; facto illi ſurgendo ſigni à Priore ad cellam ſuam reuertatur, neq; interea aliquis cum eo, nec ipſe cum alio loquatur. Quare nec ad oſculum pacis veniet, nec obedientiam aliquam, ante plenam erroris ſui ſatisfactionem factam in Conuentu obibit, nec electionibus, alijsq́; Capituli actionibus intererit. Quod ſi magnum aliquod ſcandalum inde natum fuerit, præter illa, quę poſita ſunt ante Refectorij portam, vel ſi ita Priori videbitur, ante oſtium Oratorij, vel Capitulo debet ſe poſternere ſupra quem fratres intrantes, &

exeũtes incedant, à quorum̃ ſingulis ipſe veniam petens, dicat, ora pro me frater, qui culpam ſuam ſponte non aperuerit duplici puniatur pœna.

Grauiſſima culpa eſt, ſi quis ſit incorrigibilis, qui, & ſcelera nõ veretur committere, & pœnitentias audet recuſare: ſi quis blasphemias in Deum, & Sanctos publicè dixerit: ſi quis adulterium, fornicationem, ſacrilegium, crimen indicibile, aut alia huius generis peccata admiſerit. Pro his, & conſimilibus culpam ſuam agnoſcens in carcerem detrudatur per menſem ter in Hebdomada, ſolo pane, & aqua reficiatur, ac pœnas omnes his, qui grauiori pœna plectuntur conſtitutus perferat voce item careat, & loco donec per Capitulum abſolutus fuerit, & in priſtinum locum reſtitutus. Poterit Reuerendiſsimus Pater Generalis culpas cum opus fuerit ex vna in aliam mutare, quod tamen, neq; facilè, neq; ſepè, neq; ſine cauſa faciat. Licitum etiam illi erit hanc poteſtatem cui voluerit committere.

De Capitulo culparum. Cap. XXXVIIII.

MAgis enim innocentes non eſtis ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis tacendo perire permittitis. Quapropter vt fratrum culpæ melius dicentur, & corrigantur ſtatuimus, & ordinamus vt per totum annum in vniuerſo ordine noſtro, ſingulis ſextis ferijs, à Priore, & fratribus Conuentuum culparum habeatur Capitulum, in quo Conuerſi, & Nouitij genibusflexis de publicis, & apertis erroribus, Deo, & Priori culpas ſuas dicant: ſecreta enim peccata in confeſſione tantum ſacramentali pandenda ſunt, omnes autem fratres culpam ſuam per ſe dicant, aut ſi ita mereantur publicè à Priore vocentur, arguantur, & puniantur in arbitrio Prioris, vt clerici in capitulo corã alijs culpas ſuas accuſent cum eas ſingulis diebus, quando ad matutinum eunt, dicant.

Poterit autem Prior, cum vtile, aut neceſſarium eſſe cenſuerit plura in Hebdomada Capitula habere.

Statuimus, vt tàm Clerici, quàm Conuerſi ſaltem ſemel in Hebdomada confiteantur, Conuerſi die Veneris, Clerici, die Sabbati, oblati verò ſecunda quaq; Hebdomada ſaltem ſemel Confeſſionem peccatorum ſuorum ſacramentalem faciant, negligentes à ſuperioribus puniantur.

Nè verò fratres noſtri maiorem peccandi habeant occaſionem omnibus, & ſingulis fratribus, & Conuerſis, ac donatis noſtris in virtute ſancti Spiritus, ac Saluatoris obedientiæ hac noſtra Conſtitutione ſanciendo præcipimus, vt nullus alijs externis ſacerdotibus peccata ſua abſq; ſpeciali Prioris licentia confiteatur. Excipimus fratres, qui ſunt in itinere, nec cõmodè confeſſionem ordinis habere poſſunt.

Decernimus quoq; vt tàm Clerici, quàm Conuerſi ſaltem ſemel in menſe prima Dominica menſis communionem ſumãt oblati verò ſaltem quater in anno, in Natiuitate Domini. & in Reſurrectione, in Pentecoſte, & in Feſto omnium Sanctorum, atq; etiam frequentius, ſecundum Prioris iuſſu frater, qui in alio fratre, ſiue etiam ſuperiore, ſiue aliquid reprehenſione dignum viderit fraternè, vt decet primo eum inter ſe, & ipſum ſolum humiliter, & cum charitate corrigat iterum peccanti, alijs duobus fratribus adhibitis, eandem charitatem præſtet; Tertiò errantem apud ſuperiorem accuſet, niſi hinc ſcandalum aliquod maius, aut damnum oriretur, quia tunc alia tutiori via procedendum eſt. Superior verò accuſatum, & conuinctum odio, & amore omni amoto corrigat, ac puniat, ſi ſecus fecerit ipſe à Viſitatoribus, & à Patre Rectore Generali arguatur, ac ſi eis videbitur, caſtigetur.

De pæ-

De pœnis in genere. Cap. XXXXX.

POena à Prioribus imponenda fratribus ſuis, aut eſt pro leui culpa, aut pro media, aut pro graui, aut pro grauiori, aut demum pro grauiſſima pro leui culpa imponatur Pſalmus. Miſerere, vel alius, flexisgenibus ante, ſiue in medio Refectorij dicendus pro media imponetur vna diſciplina, cum Pſalmis, vel pitantia, & vino priuabitur, vel ſaltem in terra coràm Conuentu ſedebit. Pro graui reus culpam ſuam publicæ in Capitulo agnoſcet, ter ſuper nudam terram, in medio Refectorij pane ſolo, & aqua reficietur, ac alias pœnas ad arbitrium Prioris patietur. Pro grauiori punietur reus eo modo, quo dictum eſt in Cap. 38. pro grauiori culpa Diſciplina cum danda eſt, in hunc modum dabitur. Reus ſcapulis nudatis in Chorum, ſiue in Refectorium, vt Prior iuſſerit flagellum in manu tenens prodibit, ac primum ante Priorem genuflexus peccatum ſuum agnoſcet, & pro quo luendo flagellum oſculabitur, tradetque Priori à quo Pſalmum Miſerere incipiente fratribusq; cæteris proſequentibus paulisper cędetur, accipiēſque ab eo flagellum cæteris ſigillatim tradet à quibus eodem modo flagellabitur.

Pſalmo finito ſi is excommunicatus ſit, adhùc ſine caputio ſtans à Priore abſoluatur, ca[uſ]aq;, propter quam excommunicationem incurrerit, exponatur, & alia ſeruentur, quæ ius percipit. Ante abſolutionem autem nemo eum alloquatur pręter eum, qui illi neceſſaria miniſtrat, & ſi quos patres, qui eum ad patientiam humilitatem, & pœnitentiam adhortentur Prior mittendos duxerit, ne Diabolus fortaſſe illum induceret ad diſperationem.

Pro grauiſſima culpa, ea imponatur, quæ in Capitulo 38. ferè in fine poſita eſt.

Prior, qui fratrem aliquem pœna grauiori, vel grauiſſima

punire voluerit, abſque conſilio patrum ſui Conuentus, vel patris Rectoris Generalis conſenſu non faciat, quicquid aliter fiet, irritum ſit, quod ſi hac cauſa ſcandalum Conuentui, vel ordini natum ſit, ipſo facto Prioratus officio priuatus exiſtat excipimus tamen hos caſus, ſi Reus apoſtauerit, ſi pertinax, & inobediens ſit, ſi Priorem ſuum manifeſtè contempſerit, pro quolibet enim horum delictorũ non obſtante præſentia Prouincialis poterit Prior reum ſtatim in carcerem conijcere alijſq́ue pęnis prò criminisqualitate afficere, qui ſi iniuſtè ſe à Priore tractatum, quæratur eius culpa à patribus eius Conuentus Patri Rectori Generali exponetur cuius ſentẽtiæ ſtandum erit. Habebit igitur vnumquodq; Monaſterium Congregationis noſtrę propter delinquẽtes carcerem tutum, qui dicatur à fratribus humilitas, in quo ſint compedes, & manicæ ferræ. Quod ſi quis à carcere fugerit. Priori loci licitum erit auxiliũ à quocumq; officiali, vel Prȩlato Eccleſiaſtico petere, vel etiam ſȩcularis poteſtatis brachium inuocare. Si quis verò conſilium aut auxilium quocumq; modo carcerato dederit, vt fugiat, & ille aufugerit ipſe tandiù in vinculis teneatur quandiù, aut carceratus redierit, aut ipſemet pro rei culpa plenè ſatisfecerit.

De lapſis in peccatum carnis. *Cap. XXXXI.*

QVi in carnis peccatum lapſus fuerit, & conuictus ſit per dimidium annum in carcere viuat, officium, vocem, & locum in Capitulo amittat per quinquennium, ac dum in carcere manet pane, & aqua ter in Hebdomada reficiatur, niſi Prior, & Capitulum, & conſiderata eius humilitate, & criminis qualitate pœnam cenſuerint eſſe minuendam. Profeſſus, qui occultè, vel palam contraxerit nullo tempore ad ordines promoueatur, nec in ſuſceptis ordinibus vnquam miniſtret, ſed perpetuò, vt laicus ſit vltimumq́ue

locum

locum inter omnes teneat, ac atrociter inſuper caſtigetur.

Qui publicè in Luxuriæ peccato deprehenſus fuerit perpetuò tempore in carcere vitam ducat, niſi poſt multos annos Generale Capitulum, cum eo miſericordiam faciat.

De minantibus, & percutientibus. Cap. XXXXII.

QVi alicui irato animo minatus fuerit, pœnam grauioris culpę tribus diebus ſuſtineat, ſi baculum, lapidem, aut aliquod armorum genus, vt percuteret, ſumpſerit decem diebus eidem pœnæ ſubiaceat. Qui irato animo aliquem, vel leuiter percuſſerit, ipſofacto ſit excommunicatus, nec abſolui poſſit, niſi à Generali, vel ab eo, cui ille vices ſuas in hac parte commiſerit. interea autem in cuſtodiam conijciatur, ibiq; ſit, donec Generalis illum educendum iudicauerit, pęnamq; grauioris culpè ſubeat.

Prohibemus omninò, ne fratres noſtri arma quæcumque illa ſint grandia, ſiue parua ferant, habeant, aut cuſtodiant intra monaſteria, ſiue extrà clàm, ſiue palàm ſub pęna grauioris culpæ, ſecundum Prioris arbitrium, & delicti atrocitatem infligenda; Nemo cultellos, quibus pannis ſcinditur habeat quorum manubia ornata auro, argento, ac pretioſa quacumque alia re appareant. Vaginę ſimiliter, coclearia, burſæ, ac huius generis alia ſint, ſine auro, ſine argento, ſine ſerico, atque tandem ſine aliquo artificio.

De fugiendis litibus, ac de obtrectationibus. Cap. XXXXIII.

LItes nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis ait D. Auguſtinus in regula; quare cauemus, ne quis cum fratre ſuo lites gerat, aut eas ex ſuperioris ſententia, quà celerrimè finiant.

Nemo

Nemo etiam alienas cauſas cognoſcēdas ſuſcipiat, & ſententiæ ſi quæ ſint ab aliquo latæ ipſo facto nullæ ſint, ac etiam Prioris, vel Vicarij arbitrio puniatur. Qui ſacerdoti ordinis noſtri falsò obiecerit, quod confeſſionem reuellauerit, quod furtum, homicidium, adulterium, fornicationem, aut peccatum aliquod grande perpetrarit, quiq; fratri conuitium, aut contumeliam intulerit, grauioris culpę pœnam patiatur, & ad talionis pœnam ſtare cogatur.

De pœna proprietarij, et furis. *Cap. XXXXIIII.*

SI quis rem ſibi collatam cœlauerit, aut non collatam alicui ſurripuerit, furti iudicio condemnetur, pœnaq; proprietariorum mulctetur. Qui proprietarius eſſe deprehenſus fuerit, in carcerem conijciatur, ac inde niſi per Priorem, & Capitulum extrahatur, proprietate illi omninò adempta, & in commune collata: Qui proprietarius morietur extra cœmiterium ſine ſuffragijs, & luminibus ſepelietur. Qui pecuniam vel rem aliquam magni momenti, ſine Superioris licentia à quoquam acceperit, neque Priori oſtenderit, ab aliquo Confeſſore abſolui non poſſit donec reſipiſcens rem ipſam totam Priori indicauerit pœnamq; errati ſuſtinuerit. Similiter etiam nullus frater abſque ſui ſuperioris expreſſa licentia audeat extraneis quibuſcumque perſonis etiam conſanguineis aliquid donare, mutuare, vendere, vel etiam cum eis, aliquid permutare. Contrafacientes pœnam per menſem ſubeant grauioris culpæ; Minuatur verò vel augeatur pęna ſecundum minorem vel maiorem rei valorem: qui de furto conuictus fuerit pœna grauiſſima puniatur.

De pœna falſarij. Cap. XXXXV.

NVllus frater litteras Reueredíſs. Patris Rectoris Generalis, vel alicuius alterius ſuperioris Congregationis noſtræ per ſe, aut per alium audeat confringere, aut veras lacerare, aperire, intercipere, aut mutare addendo aliquid, vel demendo. Qui contrafecerit, eum ex nunc, prout ex tunc trina Canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis excommunicationis vinculo, licet inuicti innodamus, ac pęnæ grauiſſimę præterea per menſem̄, ſine diſpenſatione ſubiacebit ineligilisq́; per triennium ad omne officium Congregationis erit. Eandem ſubſtineat pœnam, qui publica inſtrumenta, vel Bullas, & priuilegia totius Congregationis, vel alicuius Conuentus comburere, ſeu induere, alienare, immutare, vel cœlare auſus fuerit.

De pœna conſpirantium. Cap. XXXXVI.

QVi aduerſus Priorem, vel prælatum ſuum manifeſtè coniurauerit, aut conſpirauerint grauiori pœna plectantur Conuentus. Qui litteras accuſatorias aduerſus aliquem ad Capitulum Generale, vel ad patrem Generalem ſcribet nomina, accuſatorum, eorumq́; ſubſcriptiones mittat exponatq́; qui ſe vidiſſe, & qui audiſſe affirment.

Idem à fratre fiat, qui aduerſus alium litteras mittet, & ad pœnam talionis ſtare cogatur.

De pœna reuellantium ſecreta Congregationis. Cap. XXXXVII.

SI quis ſecretum Congregationis noſtræ, vel alicuius Capituli, aut Conuentus alicui extraneo ſciens, & prudens reuellauerit pęnam grauioris culpę, per quindecim dies pro qualibet vi-

libet vice ſuſtinere, ſine aliqua diſpenſatione compellatur voceq; per annum careat. Secretum verò Congregationis Capituli, ſiue Conuentus intelligimus cauſas vnde Congregatio noſtra Prouincia, Conuentus, vel frater aliquis apud ſeculares, vel alios extraneos infamari poſſit.

Nihil igitur de Congregatione noſtra Conuẽtum, vel quouis fratre extraneis perſonis dici debet, niſi quæ Dei gloriam, & Congregationis, ac fratrum laudem audientium vtilitatem pertinent ſecretum etiam dicimus quicquid Pater Rector Generalis, vel alij ſuperiores præceperint, vt ſecretum habeant extraneos autem appellamus, quotquot non ſunt ordinis noſtri, vel ſub obedientia Reuerendiſs. P. Rectoris Generalis non degunt exceptis Reuerendiſs. Prælatis, qui fuerunt ex noſtris.

De frequenti lectione harum Conſtitutionum. Cap. XXXXVIII.

SIcut B. Auguſtinus nobis in regula ſua ſcriptum reliquit, vt ea ſemel in Hebdomada à nobis legatur, quod in omnibus Congregationis noſtræ Conuentibus ſexta quaq; feria in menſa fieri præcipimus, ſic tàm frequens eſſe harum Conſtitutionum lectio debet, vt nullus ſit in noſtra Congregatione frater, qui eas ignoret.

Quare volumus, vt quotidie ante prandium, atque etiam ante cœnam caput vnum, aut alterum Conſtitutionum legatur, atq; cum opus fuerit à Priore vernacula lingua propter illiteratos breuiter exponatur.

Decernimus inſuper decretaq; P. Rector Generalis Prouinciales, ac Priores pro bono regimine noſtræ Congregationis condiderint ea vim Conſtitutionum non habere tametſi obſeruari ab omnibus debent, niſi per Capitulum Generale fuerint approbata.

FINIS

CAPITOLI
DELL'VNIONE.

IL Sigillo della Religione ſarà vn Crocifiſſo con San Barnaba, & Sant' Ambroſio.

Il titolo della Religione ſarà di San Barnaba, & Sant' Ambroſio.

L'habito ſarà la Tonica che porta l'vna, & l'altra Religione, mà al Cappuccio di quelli della Marca, & Genoua vi ſi aggiungerà vna piega, che caderà ſopra le ſpalle innanzi & dietro, più piccola di quella delli Padri di Sant'Ambroſio: & il medeſimo Cappuccio portaranno li Padri di Sant' Ambroſio: & quando andarãno per la Città portaranno la Cappa come quella delli Padri di Sant'Ambroſio, con la piega del Cappuccio di ſopra.

Quando ſarà tempo di far il Generale, concorrerranno tutti li Priori con li ſuoi Diſcreti, Viſitatori, & Padri, che ſaranno ſtati capi nelle loro Prouincie. Et nel Capitolo Generale ſi farà la diuiſione delle Prouincie, & di quella Prouincia, che ſarà giudicata più antica, ſarà eletto il Generale, alla elettione del quale haueranno voce li Prouinciali, Priori, Diſcreti, Viſitatori, & Padri, che ſaranno ſtati capi nelle loro Prouincie.

Nell'altro Capitolo Generale ſi eleggerà il Generale di quell'altra Prouincia, che immediatamente alla prima ſuccede: & quale habbia da eſſere la prima, ſeconda, terza, & quarta, ſarà deciſo nel Capitolo Generale, conforme all'antichità de' Conuenti, ouero ſecondo quello, che più ſarà giudicato iſpediente.

Fatte le diuiſioni delle Prouincie, ogni Prouincia eleggerà il ſuo Prouinciale: & à queſta elettione haueranno voce li Priori, con li ſuoi Diſcreti, Viſitatori, ciaſcuno nella ſua Prouincia, & Padri che ſaranno ſtati capi nelle ſue Prouincie.

Il Procurator dell'Ordine ſtarà ſempre in Roma à San Clemente, ouero à San Pancratio per vn triennio, & ſarà ſempre di quella Prouincia, che immediatamente ſuccede alla Prouincia del Generale: & ſarà fatto dalli Generali, cioè dal vecchio, & dall'eletto, dalli Viſitatori, & Diffinitori. Et del ſuo viuere ne hauranno penſiero le Prouincie, eccetto del cauallo, che toccarà à San Clemente di Roma farli le ſpeſe, perche ſeruirà anco al biſogno del Monaſtero.

Il Procuratore tenerà il loco à tutti li Priori, Viſitatori, mentre ſarà nell'officio.

Li Frati non ſaranno moſſi dalle loro Prouincie, ſaluo che ſe in vna, ò più Prouincie non vi foſſero huomini da gouerno; nel qual caſo ſi poſſino mandare nell'altre Prouincie per gouerno, ouero altro vfficio neceſſario, ouero per ſtudiare, ouero per biſogno che haueſſero di ſtare appreſſo alli ſuoi, come Padre, Madre, Fratelli, Sorelle, Nepoti, & ſimili; ouero ſe li Medici giudicaſſero ciò eſſer meglio per la loro ſanità: & in tali caſi habbino la voce, che hauerebboro nella propria Prouincia; & poſſino hauer officij, & dignità, come parerà à quelli, che hanno da adminiſtrare gli officij.

† Neſſun

Neſſun Frate, che ſia di età di anni cinquanta almeno, ouero che ſia ſtato capo nella ſua Prouincia, ouero che ſia di molta vtilità, & ſenza ſcandalo al ſuo Conuento, doue ſi è fatto Frate, non ſia leuato dal detto Conuento, eccetto che ſe foſſe giudicato neceſſario al gouerno di qualche altro Conuento della ſua, ò altra Prouincia, ſenza pregiudicio notabile però del ſuo Conuento, ouero ſe fuſſe ſeditioſo in Conuento, & ſcandaloſo fuori.

Li Priori in Capitolo Generale teneranno il loco ſecondo che ſarà deciſo nel Capitolo, ò ſecondo l'antichità delli Conuenti, ò più ſecondo la loro profeſſione.

IL FINE.

Ego F. Sfortia Cardinalis Protector approbo, & confirmo.

Ego Fr. Michael MuraZanus Generalis affirmo, & confirmo.

Ego F. Innocentius RoZZa Procurator General. confirmo.

Ego Fr. Barnabas Serafinus vnus ex Patribus Religionis confirmo.

Ego Fr. Vrbanus Cribellus vnus ex Patribus Religionis confirmo.

TABV-

TABVLA
RERVM MAGIS NOTABILIVM,
quæ in his Conſtitutionibus continentur.

Bulla Sixti Quinti. pag. 1
Bulla Sixti Quinti. 3
Bulla Pauli V. 4
Regula Beati Patris Auguſtini. 5

Cap. 1.

Quomodo ſit perſoluendum officium Diuinum à fratribus. 13
Fratres Mediolanenſes ſeruent ritum Ambroſianum in perſoluendo officio, cęteri ritum Romanum. 13

Cap. 2.

Quanam hora debeat dici Matutinum; Omnes cuiuſuis gradus intereſſe debent horis recitandis. ibidem.

Cap. 3.

Qua nam hora debeat fieri oratio ſerotina. 14
Qui ritus ſit ſeruandus, à Conuerſis in dicendo eorum officio. 15

Cap. 5.

Ordinandi debent prius examinari à Generali, ſiue à Prouinciali cum Viſitatore. 16

Cap. 6.

Confeſſarij ſunt examinandi à Generali, ſiue à Prouinciali cum Viſitatore. 17
Nemo præficiatur curæ animarum S. Primi Mediolani abſq; licentia Generalis. ibid.
Priores in ſuis monaſterijs poſſunt eligere confeſſarios, qui audiant fratrum noſtri ordinis confeſſiones. ibid.
Qui reuelauerit confeſſionem perpetuò, vel longo ſaltem tempore tali munere ſit priuatus. ibidem.
Concionatores noſtri in proprijs Eccleſiis petant ab ordinario benedictionem in alienis habeant facultatem concionandi ab Epiſcopo illius Diœceſis, ſacerdotes omnes examinentur circà ceremonias Miſſæ lectionem & alia adhoc pertinentia. ibid.

Cap. 7.

Vna quæq; Prouincia habeat nouitiatum, & Gymnaſium. 18
Monaſteria cuiuſcumque Prouinciæ ſubſidium contribuant Monaſterio Nouitiatus ſuæ Prouinciæ quando ex impotentia non poterit nouitios alere. ibid.

Cap. 8.

Qui ad ordinem noſtrum eſt recipiendus, ſit natus legitimis è parentibus bonæ famæ corpore ſanus, ac mente. 18
Nemo recipiatur ante 14. annum. 19
Qui recipiendus eſt pro clero quàm ſcientiam habere debeat. ibid.
Qui pro conuerſo recipietur, cuius nam ętatis, & conditionis eſſe debeat. ibid.

† 2 Quæ

Quænam debeat eſſe ætas donatorum, ſiue laicorum. ibid.
Non ſtatim recipiatur, qui poſtulat ad religionem recipi. 20
Quis nam debeat præferri nouitiatui ad docendum nouitios. ibid.

Cap. 9.

Modus veſtiendi Nouitios. ibid.

Cap. 10.

Modus faciendi profeſſionem. 25
Quando Nouitius debeat facere profeſſionem. 26

Cap. 11.

Qualis eſſe debeat forma veſtium fratrum noſtræ Congregationis. 29
Conuerſi, neque clerici, qui non ſint in ſacris conſtituti, nullam habent vocem in Capitulo. ibid.
Forma pileorum, Calceorum, Cinguli, & Mantelli fratrum noſtrorum. ibid.

Cap. 12.

Parietes cellarum ſint nudi abſque vllo ornamento. 30
Quoties Prior debeat viſitare cellas fratrum ſuorum. ibid.

Cap. 13.

Quo tempore, & quomodo debeat fieri capitulum Generale. 31
Qui nam debeant accedere ad Capitulum. ibid.
In quibus monaſterij debeant fieri diſcreti. ibid.
Monaſteria prouideant de expenſis Prioribus & diſcretis ad Capitulum euntibus. ibid.

Cap. 14.

Quæ debeant fieri in Capitulo Generali. 33
Quod nam ſit officium diſcreti. ibidem.

Cap. 15.

Quomodo debet eligi P. Rector Generalis. 34

Cap. 16.

Quomodo debeant eligi Viſitatores, & Priores. 35

Cap. 17.

Quænam ſit auctoritas. & officium P. Rectoris Generalis. 3[illegible]
Nemo eligatur Generalis, qui non ſit ætatis annorum triginta Sacerdos, & profeſſus noſtræ Religionis per annos decem. ibid.
Quodnam monaſterium debeat ſuppeditare expenſas Generali, tàm in eundo, quàm in redeundo, à Viſitatione Prouinciæ Lombardiæ. 37
Quænam Prouincia debet prouidere Generali de expenſis pro itinere faciendo ad Capitulum Generale. 37

Cap. 18.

Quænam ſint facienda in morte, ſiue depoſitione P. Rectoris Generalis. 38

Cap. 19.

Quod nam ſit officium Procuratoris ordinis. 38

Cap. 20.

Quod nam ſit officium Prouincialis, & eius auctoritas. 39
Prouincialis nullum formet proceſſum contra aliquem fratrem abſq; Viſitatore. 40

Quis nam.

Quis nam debeat ſuccedere in locum Prouincialis mortui. 40

Cap. 21.

Quod nam ſit officium Viſitatorum. 41
Qui nam locus aſcribatur Viſitatoribus. 41

Cap. 22.

Quod nam ſit officium Prioris Conuentus, & eius auctoritas. 42
In quolibet monaſterio fiat Archiuium, in quò tutè ſeruentur ſcripturæ. 42

Cap. 23.

Nullus Conuentus appellatur Prioratus in quo non reſident quatuor fratres. 43

Cap. 24.

Quod nam ſit officium Vicarij Conuentus. 44
Vicarius non diſcedet à Conuentu tempore Capituli, niſi ſit diſcretus. 44

Cap. 25.

Quod nam ſit officium Sacriſtæ conuentus, & qualis eſſe debeat. 47

Cap. 26.

Quod nam ſit officium Procuratoris Conuentus. 47

Cap. 27.

Quod nam ſit officium Cellarij. 47

Cap. 28.

Quænam ſint obſeruanda in Congregatione noſtra. 48

Cap. 29.

Quomodo debeant curari infirmi. 49
Infirmarius conſtituatur ad curandum infirmos. 49
Nullus fratrum noſtrum exerceat artem medendi ſub pœna excommunicationis, & irregularitatis. 49

Cap. 30.

Quomodo ſint recipiendi, & tractandi hoſpites. 50
Nemo ingrediatur iter aliquod abſque litteris obedientiæ ſui Prælati. 51
Nullus frater accipiat legationem quamcumque. 51

Cap. 31.

Sexta feria eſt perpetuò ieiunandum exceptis &c. 52

Cap. 32.

Quando ſit tenendum ſilentium. 52
Quomodo ſe debeant gerere fratres in Eccleſia. 53
Conuerſi priuſquam rem aliquam aggrediantur, Miſſam audiant. 53
Nemini liceat iurare, ſcurrilitatem exercere, nec turpia verba proferre. 53
Nullus adeat domos parentum, amicorum, & benefactorum ſine licentia Prioris. 53

Cap. 33.

Silentium in menſa, ſeruetur, eaq; condiatur lectione ſpirituali. 54
Qui ritus ſit ſeruandus poſt menſam in gratiarum actione. 54
Nulli liceat, nec ſeculares, nec religioſos in cella intromittere abſq; Prioris licentia. 54

Cap. 34.

Qui ordo ſit ſeruandus in Refectorio. 55

Nulla.

Nulla pitantia in Conuentu comedatur, quæ cõmuniter omnibus non diſtribuatur. 55
Lectio menſę media ſit ex Biblia, & media vulgari ſermone propter illiteratos ex alio libro. 56
Conuerſi poſt refectionem redeant ad ſua exercitia, Clerici verò diſcant canere. 56

Cap. 35.

Monaſteria noſtra vndiq; ſint clauſa, & habent portinarium. 56
Quænam oſtia habere debeant noſtra monaſteria. 57
Non permittantur ſeculares pernoctare in monaſterio, niſi neceſſitatis cauſa. 57

Cap. 36.

Nemini liceat exire domo ſine ſocio, & ſine ſuperioris licentia. 57
Quomodo ſe debeant gerere fratres in inceſſu per viam. 58
Apoſtata ab ordine noſtro non recipiatur niſi auctoritate Capituli Generalis. 58

Cap. 37.

Illa tantum in his Conſtitutionibus obligant ad mortale peccatum, quæ ad tria Religionis vota eſſentialia pertinent. 58

Cap. 38.

Pœnarum, quæ nam ſit leuis, quæ media, quæ grauis, quæ grauior, & quæ grauiſſima. 59

Cap. 39.

Sexta quoq; feria fiat Capitulum culparum. 61
Tàm clerici, quàm conuerſi ſemel in Hebdomada confiteantur ſua peccata. 62
Oblati ſecunda quaq; Hebdomada confiteantur ſua peccata. 62
Nullus fratrum noſtrornm confiteatur peccata ſua externo ſacerdoti abſque licentia ſui Prioris. 62
Clerici, & conuerſi ſemel in menſe Communionem ſumant. 62
Oblati quater in anno ſumant Euchariſtiam. 62

Cap. 40.

Quænam pęnæ ſint imponendæ fratribus à Priore. 63
Prior ne puniat fratrem aliquem pœna grauiori, vel grauiſſima abſque conſenſu patrum Capituli. 63
Vnumquodque monaſterium habeat carcerem tutum. 63

Cap. 41.

Lapſus in peccatum carnis, & conuictus per ſex menſes viuat in carcere, & careat voce. 64
Profeſſus, qui duxerit vxorem, perpetuò ſit vt laicus. 64
Publicæ deprehenſus in peccato carnis perpetuò in carcere viuat. 64

Cap. 42.

Qui irato animo aliquem percuſſerit etiam leuiter ſit ipſo facto excommunicatus. 65
Nemini liceat habere arma quæuis, nec palàm, nec clàm. 65

Cap. 43.

Nemo lites gerat, aut inceptas celerrimè finiat. 65
Qui falsò obiecerit alicui noſtri ordinis, vel contumeliam intulerit, ſtet ad pœnam talionis. 65